DE C. SILII ITALICI
CUM FONTIBUS TUM EXEMPLIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ERNESTUS WEZEL,

LIMBACENSIS SAXO.

LIPSIAE,

TYPIS F. A. BROCKHAUS.

MDCCCLXXIII.

CAPUT PRIMUM.

Livius. Vergilius. Homerus.

Scripsisse C. Silium Italicum carmen suum de bello Punico altero Imperatore Domitiano, postquam ex Asia quam pro consule administraverat redux e republica in honestum otium secessit, ex C. Plinii epistula ad Caninium Rufum missa apparet (conferatur Plinii epist. lib. III., 7.). Magnus autem fuit numerus poetarum et historicorum Romanorum Graecorumque, qui ante Silium hanc eandem rem tractandam sibi sumpserant, quibus Silius uti potuit. Sed illa aetate tantum aberat ut scriptores veteres digni haberentur qui legerentur, ut Silio aequales non perferendam esse censerent tristem et impexam antiquitatem; contra poetas et homines doctos aetatis Hadrianae et qui eum secuti sunt Imperatores ubicunque scriptoribus antiquioribus quam plurimam operam dedisse constat. Itaque non mirum quod Silius primo loco eorum scriptorum vestigiis institit, qui apud aequales maxima floruerunt auctoritate, neque quisquam dubitabit, cum, quicunque post Livium scriptores ad res Romanas litteris mandandas accesserunt, de rebus antiquis Livii historias pro primario haberent fonte ejusque annales quasi pro horreo quodam ducerent unde ad libidinem promerent, quin in narratione rerum gestarum Silius quoque Livio potissimum usus sit, duce et quasi filo (sic Lachmannus in commentatione altera de fontibus historiarum T. Livii pag. 8, §. 5). De hac tamen re, et de fide potissimum quae dicitur historica, cum alii tum Guilelmus Cosackius in quaestionibus Silianis jam disputaverunt, ita ut haec res ad liquidum perducta esse videatur. Quam

ob rem cum nolim ea nunc iterum afferre, quae ab aliis jam exposita sunt, hujus quaestionis summam paucis complecti liceat: Non solum in rerum gestarum dispositione, sed etiam nonnunquam in rebus singularibus eisdem minutissimis (conferatur Cosackius, l. l. pag. 23, 24) Silius Livii vestigiis ingressus est; sed tantum abfuit ut ille Livium ab ovo usque ad malum versibus repeteret, ut saepius de industria ab eo discederet. Eis tamen locis quibus in rerum gestarum narratione dissentire eum a Liviana historia luce clarius est (Cosackius, l. l. p. 29—35), aut alios scriptores ante oculos habuit aut e poetarum more suum arbitrium secutus res videtur finxisse, ita ut, quamvis totius argumenti summa e Livio sit hausta, multae tamen res in carmine Siliano legantur quae aut in Livii libris non narrantur aut cum ibi narratis prorsus dissentiunt. Qua re Cosackius l. l. p. 56. se non posse censet quin Silio laudem fidei historicae deroget, atque neget eum esse auctorem quem in rebus incertis sequi possimus. Hoc fere judicium est eorum qui de hac re disseruerunt neque aliud quid nunc addam, praesertim cum a viris illis doctis plurima exempla ex quibus in narrandis rebus gestis eum e Livio hausisse appareat allata sint quorum numerum multiplicare facilis esset laboris, nisi proprietates quasdam et Livianae et Silianae orationis, ex quibus quatenus Silius etiam dictionem Livianam propriam sibi fecerit elucet. Hanc enim rem Silii interpretes si non plane neglexerunt at saltem tantummodo perstringi ac paucis absolvi posse censuerunt.

1., *Substantiva quae in -tor cadunt.*

Studiosissimum fuisse Livium substantivorum quae in -tor cadunt, Kuehnastius in libro qui inscribitur: „die Hauptpunkte der Livianischen Syntax“ editionis alterius pag. 336. exemplis demonstravit. Alii alia exempla addiderunt. Leguntur autem substantiva quae in -tor cadunt:

apud Silium, — cujus carmen ex 12201 versibus constat — quadraginta quinque, et haec quidem quingenties undecies, sive 4,188%. In eodem versuum numero *apud*

Vergilium quadraginta duo, et haec ducenties undesexagies, sive 2,122%; qua in re Aeneidos et Georgicon libros omnes, deinde Eclogam primam et alterius eclogae triginta quatuor versus in rationem induxi;

apud Ovidium quadraginta tria, et haec quidem ducenties tredecies, sive 1,745%, cujus Metamorphoseon libros, epistolam ex Ponto primam et alterius epistolae centum viginti octo versus perlegi;

apud Statium quinquaginta sex, et haec ducenties sexagies bis, sive 2,147%, in rationem inductis Silvarum et Achilleidos libris omnibus, Thebaidos libris octo et noni libri 866 versibus;

apud Horatium — cujus carmina ex 8815 versibus constant — septuaginta sex et haec ducentis semel, sive 2,281%;

apud Lucanum — cujus carmen ex 8061 versibus constat — quadraginta quinque et haec centies septuagies septies, sive 2,195%;

apud Valerium Flaccum — cujus carmen ex 5593 versibus constat — viginti substantiva et haec centies undecies, *sive* 1,984%;

apud Tibullum — constant carmina ejus ex 1921 versibus — quatuordecim, et haec ter et vicies, sive 1,197%

apud Propertium viginti septem et haec quinquagies octies, sive 1,197%; constant carmina ejus ex 4010 versibus;

apud Catullum duodeviginti, et haec undetricies, sive 1,276%; constant carmina ejus ex 2350 versibus;

apud Lucretium sedecim, et haec vicies, sive 0,271%, cujus carmina ex 7393 versibus constant.

Silius igitur inter hos omnes scriptores, quorum alii ei praeiverunt, alii aequales ei erant, substantivorum quae in-tor cadunt studiosissimus, hac re ad Livii dictionem maxime accedit.

2., Nec non multum fuisse Livium in usu adjectivorum quae in-osus cadant Kuehnastius l. l. plurimis exemplis demonstravit (pag. 339). Qua terminatione Silium quoque saepissime uti haec docebit ratio eodem modo composita.

Leguntur enim adjectiva in-osus desinentia apud *Silium* triginta quinque, et haec centies decies, sive 0,901%. Minus studiosi illius terminationis quam Silius sunt *Vergilius*, (0,614%), *Statius* (0,868%), *Lucanus* (0,632%), *Valerius Flaccus* (0,393%), *Lucretius* (0,202%). Studiosiores autem horum adjectivorum: *Horatius* (1,645%), *Ovidius* (1,262%), *Tibullus* (1,353%), *Catullus* (1,547%), Propertius (1,995%). Perlegi hos omnes scriptores, quia in indicibus fere omnibus, paucis exceptis, in ejus modi re parum curae et diligentiae inesse cognovi; Ennii autem annales ad hanc comparationem adhibere de industria omisi quia de numero versuum periculosum est aliquid velle statuere.

Sunt autem et multae aliae voces et locutiones Silio Livioque propriae, quae apud alios scriptores aut nunquam, aut perraro leguntur. Ut multa alia omittam haec pauca afferre liceat:

3., *et Livius et Silius nonnunquam substantivis aut feminini generis pro masculinis vel vice versa, aut collective positis utuntur.* Ad quod conferas:

Silius 5. 495: dum certant pars excussi, pars trepidi pendent.	*Livius* 27. 1. 8. circumvecti pars — pars invaderent.
8. 489. his mixti Nepesina cohors	2. 59. 11. cetera multitudo decimus quisque lecti.
	5. 35. 1. alia manus — considunt.
10. 306. dextera, quem..	23. 11. 10. magister equitum, quae consularis potestas sit.
15. 500. animae, qui	22. 57. 3. scriba, quos.
	32. 29. 5. rebus, quae agenda sunt.
15. 566. gens duri bello.	5. 48. 3. gens-urebant.
16. 463. cetera turba contenti discedunt.	26. 35. 7. ingens turba circumfusi fremebant.
17. 630. clari Phoenissa juventa.	27. 51. 1. omnis aetas obvii ibant.

4., *Id quod rarius apud alios scriptores legitur: substantiva conjungi insolentia quadam cum infinitivis, apud utrumque saepius invenitur:*

Sil. 13. 155. capital est committere Martem.	*Liv.* 24. 37. 9. capital est praesidio decedere.

13. 720. amor cognoscere manes	2. 62. 2: religio est castra oppugnare.
13. 732. studium cognoscere umbram	
17. 140. exemplum non unquam fidere laetis.	5. 40. 8. religio est despui (et saepius).
13. 719. ardor appellare viros	21. 9. 9. verecundia est postulare.
5. 270. vigor nulli adspirare	

5., *adjectiva cum genitivo conjuncta more Graecorum.* Quorum ex maximo numero haec tantum elegi:

Sil. 1. 52. dubius vadi	*Liv.* 33. 25. 5. dubius sententiae.
2. 234. trepidi rerum	5. 11. 4. trepidi rerum.
5. 232. nimius cruoris	3. 26. 12. nimius imperii.
6. 81. nimius vitae	
3. 358. insuetus galeae.	6. 34. 6. insuetus moris.
4. 112. incertus fugae	4. 57. 3. incertus sententiae
8. 108. aeger animi	1. 28. 9. aeger animi.
16. 511. plenus irae.	23. 12. 14. plenus praedae.

6., *adjectiva cum dativo conjuncta:*

Sil. 3. 335. natus urbi	*Liv.* 22. 4. 2. natus insidiis.
4. 795. mite homini	21. 20. 8. mitis Hannibali.
4. 483. Poenis secunda	2. 38. 1. irae secunda.
12. 432. Sagunto secundus	5. 49. 4. suis secundus.
17. 551. Ausoniae secundus	23. 10. 7. nulli secundus.

7., *adjectiva quae Livius et Silius contra aliorum scriptorum morem cum ad praepositione conjungunt:*

Sil. 8. 336. habilis ad aratra	*Liv.* 7. 10. 5 et 21. 4. 3 habilis ad pugnam.
10. 339. avidus ad futile nomen	gens ferox et avidi ingenii ad pugnam.
12. 560. facilis ad requiem.	32. 12. 3. facilis ad receptum.

Apud alios scriptores „facilis ad" cum gerundivo conjungitur.

8., *Nec raro adjectiva cum infinitivis conjunguntur.*

Livius enim scribit: insuetus vinci 4. 31. 4 et 10. 35. 2.; sive insuetus vera audire 31. 8. 3; desuetus clamorem pati 8. 38. 10; facilis vincere vel vinci 7. 33. 2, dignus credi 8. 26. 6; obstinatus mori 42. 65. 11. obstinatus claudere por-

tus 9. 25. 6; et alia; quibuscum conferas haec Silii: indignus occurrere 2. 111.; dignus vincere 16. 487; facilis concedere laudi 17. 323; indocilis ferre tristia 13. 310. nescius vinci 3. 548; asper pati frena 3. 387. impatiens teneri freno 6. 231; novus ferre jugum 16. 331; superbus aequare rura 14. 646; laetus domare labores 3. 575. et quae sequuntur.

9., *Nonnunqam adjectiva neutrius generis pro substantivis posita sunt:*

Sil. 4. 88. extremum noctis	*Liv.* 28. 29. 1. extremum aestatis
	28. 37. 5. extremum auctumni
8. 25. extrema rerum	39. 23. 3. extrema anni.
4. 248. exiguum salutis	22. 24. 8. exiguum spatii.
5. 160. infanda pati	23. 9. 2. infanda pati.
7. 108. ultima mundi	37. 58. 8. ultima Orientis.
9. 98. in subitis.	25. 15. ut ad subita belli si Hannibal venisset.
	9. 43. ad subita rerum duo justi scriberentur exercitus.
11. 558. vanis abstinere.	3. 3. 4. vaniora ferre ad alios.

10., *Adjectiva sive pronomina pro adverbiis posita sunt.*

Ut silentio praetermittam ea adjectiva quae adverbiorum loco etiam apud alios scriptores, maxime quidem poetas saepius leguntur, ut: prior, primus, proximus, rarus, secretus, sublimis, alia, pauca tantum affero exempla:

Sil. 8. 238. magna promittere,	*Liv.* 23. 10. 2. magna promittere.
8. 109. magna minari	
15. 451. furere vix credenda	8. 31. 4. id furere.
16. 644. fremere paria	3. 38. 10. haec fremunt plebes.

11., *Adjectiva passivae significationis active posita aut vice versa.*

Sil. 10. 375. laeta mensa	*Liv.* 31. 5. 7. laeta exta.
2. 99. incautus ictus.	23. 35. 1. segne bellum.
4. 724. aegrae curae, (quae faciunt homines aegros)	44. 29. 2. inviolata potestas tribunicia (quae facit homines inviolabiles.
5. 52. piscis facilis introitu, i. e. qui facile intrat	4. 53. 9. invisus consuli exercitus, i. e. qui consuli invidet.

12., *Verba quae apud utrumque fere semper cum dativo, apud alios scriptores aut cum aliis casibus, aut cum praepositionibus, multo rarius autem cum dativo conjunguntur:*

Sil. 1. 219. fidere nudo ensi 11. 808. fidere Marti	*Liv.* 23. 26. 2. et saepius: fidere parti. [Vergilius quater cum dativo.]
2. 454. aptare tegmina humeris 14. 496. aptare arma lacertis	44. 34. 8. aptare arma corporibus.
2. 314. aequare Alpibus	33. 21. 3. aequare animum magnitudini.
2. 701. postferre fidem regnis	3. 64. 3. postferre opes suas libertati.
5. 125. restare adversis	43. 45. 9. restare paucis (Ovid.).
9. 495. regnare campis	28. 13. 3. regnare oppidis (semel ap. Ciceronem).
13. 300. superstare muro	7. 24. 5. superstare stratis corporibus.
14. 318. applicare undas muris 15. 410. applicare aggerem silvis	23. 7. 7. applicare corpora corporibus.
15. 675. spolia figere templis.	7. 3. 5. lex fixa est dextro lateri.
Huc accedunt:	
11. 460. auditus Orpheus Manibus et Superis.	8. 6. 4. audita vox populis patribusque.
4. 229. damnari Superis	22. 34. 8. contemni patribus.
2. 694. laudatur Junoni	5. 6. 14. audiuntur signa militi.

13., *Metaphorae quae utrique potissimum propriae sunt, sunt hae:*

Sil. 1. 311. et 2. 37. nubes telorum; 6. 336. nubes Laconum 7. 84. nubes Marmarica,	*Liv.* 38. 26. 7. nubes telorum. 35. 49. 5. nubes peditum et equitum. (Apud Vergilium legitur: nubes volucrum, nubes apium, neque tamen nubes telorum sive hominum.)
1. 80. serere bellum;	31. 6. bella ex bellis serere,
1. 394. et 8. 35. proelia serere	2. 1. 5. proelia serere 3. 40. 10. discordias serere.
2. 266. ovantia verba serere 15. 284. alterno sermone verba serere.	24. 31. colloquia serere.
2. 241. moenia pandere telo 5. 269. campum pandere caede.	21. 37. 3. rupem pandere ferro.

Sil. 1. 687. arva Carthaginis bello exuruntur	*Liv.* 27. 39. Italia urebatur bello; alibi Sicilia bello uritur.
3. 20. senium templorum	
5. 496. senium arboris.	7. 22. 5. senium lentae tabis.
16. 14. senium rerum	
3. 581. virtus senescit	27. 20. 9. fama senescit.
5. 15. exuitur pudor	34. 7. 12. exuitur servitus.
7. 353. gliscit malum	27. 3. 1. gliscit facinus.
10. 605. acuere mentes lapsas	28. 19. 4. acuere pectora. (Cic. Tusc. 1. 33. acuere mentem.)
7. 549. abolere tristia dicta,	9. 36. aliis omnibus cladis Caudinae nondum memoria aboleverat.
17. 608. abolere Cannas	25. 1. 7. abolebantur ritus.
	3. 38. abolere magistratum.
13. 578. inexorabile limen	2. 3. 4. inexorabilis res. (Vergilius semel G. 2. 491. inexorabile factum.)
17. 97. inexorabilis Auster	
13. 771. arx summa laudis	7. 34. 4. arx spei salutisque.
14. 356. erigitur proles.	2. 21. 6. eo nuntio erecti patres, erecta plebs. [apud alios scriptores animus erigitur.]
15. 611. segnis formido	25. 8. 13. segnis mora. (Ovid semel.)
15. 509. Alpes moenia Italiae	21. 35. 9. Alpes moeniae Italiae.
16. 3. / 14. 103. / 7. 403. } bellum coquere	8. 3. 2. bellum coquere.
16. 26. exutus castris	25. 39. 11. (et saepe) exuuntur castris.
17. 161. gravis curis	2. 19. 6. gravis viribus.
17. 320. ardent campi ferro.	43. 4. 4. ardet ager tumultu.

14., *Denique nonnullas voces rariores et verborum conjunctiones addere liceat quae aliis scriptoribus alienae sunt.*

Sil. 7. 561. mens irae impenetrabilis, i. e. quae penetrari non potest.	*Liv.* 36. 25. Silex saepe impenetrabilis ferro occurrebat; (eodem sensu.)
9. 60. perplexum carmen.	25. 12. perplexius carmen; conferuntur etiam 35. 14.; 34., 57.;
	40. 50. perplexi sermones.
8. 15. jam bello vicerat hostem	9. 19. non proelio victus,.. bello victus esset...

Sil. 13. 680. Hasdrubal adesus cladibus, i. e. prorsus fractus et victus cladibus.

Liv. 1. 7. extis adesis, i. e. prorsus absumptis. Apud alios scriptores adesus non est prorsus consumptus, sed ex parte consumptus ut Vergil. Aen. 9. 537. adesi postes, Horat. Od. 3. 29. 36. adesi lapides i. e. leves lapides.

Poteram multa alia exempla addere. Sed jam his ex rebus facile intelligi posse censeo quatenus Silius etiam in ratione arteque scribendi a Livio pendeat.

Errasset vero qui censeret Silium id tantum egisse ut ex soluta oratione versus faceret; cum enim non solum rerum scriptorem, sed etiam carminis epici auctorem haberi voluisse jam ex primis carminis ejus versibus apparet, ubi exposito totius operis argumento (v. 1—20) et Carthaginis origine descripta (v. 21—28) Juno inducitur Poenis et maxime quidem Hannibali ad bellum contra Romanos gerendum animos incendens. Procedente autem carmine etiam aliis deis deabusque aliae partes tribuuntur. Venus enim inducitur (lib. 3, v. 557. sqq.) apud Jovem de periculo Romanis imminenti questa, tum (lib. 4, v. 667 sqq.) Scipionem cum Trebia flumine pugnantem ope Volcani periculo eripiens, deinde (lib. 11, v. 385. sqq.) Capuae ope Cupidinum Poenos enervans, denique (lib. 17, v. 283 sqq.) Neptuni iram mitigans. Juno autem Tissiphonen ab inferis evocat quae Saguntinos vexet (lib. 2, v. 526 sqq.); a Trebia flumine petit (lib. 4, v. 574 sqq.) ut undis suis, ab Aeolo (lib. 9, v. 499 sqq.), ut Volturno vento Romanos perdat; deinde in Trasumeni lacus numen conversa Hannibali in somno apparet animum ejus ad persequendos hostes inflammans (lib. 4, v. 722 sqq.); tum Annam nympham mittit ad Hannibalem fata futura ei nuntiaturam (lib. 8, v. 35 sqq.); sequuntur multae ejus machinationes, quas praetermittere nunc liceat. Tum Mars in pugna Cannensi a partibus Romanorum pugnans (lib. 9, 438 sqq.) furensque in Carthaginienses (lib. 9, 486 sq.) fingitur, postquam jam antea in pugna ad Trebiam facta Scipionem

juvenem defendit (lib. 4, v. 457 sqq.), simili modo atque Apollo hastam ab Ennio poeta amovet (lib. 12, v. 405 sq.). Neque desunt Mercurius a Jove missus ad Hannibalem somniantem (lib. 3, v. 163 sqq.), neque Minerva contra Martem pugnans (lib. 9, v. 438 sqq.), neque Iris ab Jove missa ut deos inter se pugnantes ex proelio revocaret (lib. 9, v. 470 sqq.), neque Proteus, qui bellum gloriose a Scipione Africano confectum iri praedicit (lib. 7, v. 409 sqq.). Huc accedit quod non solum deorum interventionibus et ministeriis carmen suum ornare studuit, sed etiam aliis digressionibus fabulisque quas Homerum et Vergilium ei praeisse apparet. Conferas enim catalogum copiarum Hannibalis (lib. 3, v. 222 sqq.), qui manifestam prodit imitationem Vergilii (Aen. lib. 7, v. 641 sqq.), ubi recensentur ei qui Turnum sequuntur ad bellum; deinde locum illum libri 17, v. 522 sqq., ubi Hannibal Scipionis imaginem a Junone falsam sibi objectam hasta petit et fugientem persequitur, quem locum Silius ad verbum accommodavit ad Vergilii narrationem de Turno ejusdem deae eadem fraude decepto (lib. 10, v. 633 sqq. Aen.); denique Vergilii vestigia premens (Georg. lib. 3, v. 26 sqq.) Silius ubi narrat Hannibalem Gadibus in templo fuisse, (lib. 3, v. 33 sqq.) labores ejus in foribus templi caelatura et sculptura ornatis insculptos esse fingit, quos summa cum admiratione Hannibal contemplatur. Sive conferas lib. 3, v. 62 sqq., ubi Hannibal Himilcen uxorem quamvis invitam cum filiolo in Africam amandat, quem locum Silius debet Homero, (Il. Z, v. 394 sqq.) ubi Hector Andromachen cum parvo filio a se dimittit; deinde Homeri μάχην παραποτάμιον, quae exstat Il. lib. Φ, v. 328 sqq., Silius imitatus est lib. 4, 667 sqq. ubi Trebia flumen magna vi aquarum super ripas effunditur et in Scipionem irruit, quem Volcanus praesenti periculo eripit flammis undique excitatis, quibus vis undarum coercetur. Ad quos locos accedunt multi quibus demonstrari vix potest utrum Homerus an Vergilius Silio ante oculos fuerit, cum ille huic praeiverit. Episodium enim illud lib. 13, v. 381 sqq. quo narratur Scipionem filium adiisse inferos ut ibi umbras

patris patruique spectaret, et imitationem Vergilii (Aen. lib. 6) et Homeri (Odyss. lib. 11) prodit; tum locum de Hannibalis clipeo Silius et Vergilio debet, (Aen. lib. 8, v. 626 sqq.), qui Aeneae clipeum multis versibus describit, et Homero, qui Il. lib. 18, v. 478 sqq. clipei Achillei splendidissimam reddit imaginem; denique in narratione de Proteo fata futura pandenti partim Vergilium secutus est (Georg. lib. 4, 386 sq.) partim Homerum (Odyss. δ, 382 sqq.); postremo narrationi pugnae Cannensis atrocissimae (lib. 9, v. 287 sqq.) Silius ϑεῶν μάχην intexuit, et ad Homeri (Il. Υ, 32 sqq.) et ad Vergilii (Aen. lib. 7, v. 620 sqq.) exemplum adumbratam. Sed quoquo modo res se habet constat tamen utriusque poetae studiosum fuisse Silium, atque utriusque poetae carmina diligentissime lectitasse. De Vergilio autem Silio praeeunte separatim et uberius nunc disserere vereor ne sit supervacaneus labor. Primum enim res ipsa jam notissima est de qua praeter Silii interpretes in editionum praefationibus, vir doctus disputavit in libro qui inscribitur: Nachträge zu Sulzer's allgemeiner Theorie der schoenen Kuenste, vol. VII, par. I, pag. 369 sqq. Deinde Drakenborchius, Lefebure de Villebrune, Ernestius, Rupertius quorum editiones praesto mihi sunt, in quavis libri pagina accuratissime locos Vergilii expressos vel adumbratos adnotaverunt. Denique Leo Cholevius in dissertatione quae inscribitur: Epitheta ornantia quibus utitur Vergilius cum eis comparata quibus posteriores epici latini, maxime quidem Silius, carmina sua distinxerunt, demonstravit, allatis omnibus epithetis ornantibus primorum sex librorum Silii et cum Vergilianis comparatis, quatenus Silius ex Vergilio penderet. Postremo mentionem facere liceat libelli qui inscribitur: „Vergilii triumphantis libri tres inflante Alexandro Rossaeo, Roterodami 1661. Hujus enim libelli parte prima de Silio Italico, parte altera de Lucano, parte tertia de multis aliis poetis agitur, quorum omnium Vergilius triumphum agat. Quamquam enim Rossaeus ille semper ridicula verborum praestigia et oratione ampullis quasi tumida utitur Siliumque acerbissima vituperatione et infestissima

contemptione cumulat, libro tamen primo, in quo ut ejus ipsius verbis utar „Silii Italici furta deteguntur, Vergilius vindicatur et Silius a poetarum Imperatore in triumpho ducitur“, tot loci utriusque poetae collecti et inter se comparati sunt, ut, si illa omittimus quae ludibrii causa addita sunt, de ratione intercedente inter Silium et Vergilium vere doceamur. Constat igitur Vergilium eum fuisse poetam quem Silius maxime sibi exemplar proposuerit. Itaque Silius cum data opportuna occasione laudes eorum scriptorum quos in exemplum sibi assumpserat carmini suo intexere soleat, libri octavi versibus 593. et 594., postquam exercitum ex populis totius Italiae ante pugnam Cannensem conscriptum recensuit et Mantuam urbem cives suos misisse dixit, haec in honorem Vergilii addit:

Mantua Musarum domus atque ad sidera cantu
Evecta Aonio, et Smyrnaeis aemula plectris;

sive quia Vergilius Andibus in agri Mantuani vico natus erat, sive, id quod Drakenborchius ad hunc locum adnotavit, quia Mantua celebris facta sit Georgicis et Aeneide quorum altero carmine Hesiodum Ascrae habitantem, quod Aonum primorum Boeotiae incolarum oppidulum est, altero Homerum imitatus sit. Addit Cosackius qui eandem rem l. l. p. 52. commemoravit haec verba: Vergilium . . . . subtili cum venustate atque teneriore elegantia non inter feroces milites commemorat: Alios enim quos celebrare studet carmine suo, inter milites recenset, ut Ennium, Pedianum quendam (lib. 12, v. 218), denique „Scauros, Scaevolas, Pisones, Cethegos, Brutos, Nerones, Cilnios, quos accurate semper adumbratis origine atque patria jam illis Punicorum temporibus bellica laude floruisse gloriose tradit.“ Illud vero quod Cosackius de Vergilio dixit non prorsus est rectum, quia miles quoque pugnans cui nomen est Vergilio lib. 17, v. 441. inducitur.

Restat ut pauca addam quae Homero debeat Silius. Jam supra enim diximus haud paucis locis utrum Homerum an Vergilium Silius secutus sit difficile esse dictu; cum vero ubicunque carminis Siliani tum illis ipsis locis non

raro aut versus aut locutiones exstent quae manifestam produnt imitationem Homeri, negari vix potest Silium cum illas carminis partes quas et Vergilius et Homerus tractaverant scripserit, ex utriusque poetae narratione ea petiisse quae maxime ipsi placerent, et alterum ad alterius exemplum nonnumquam variasse. Omissis igitur illis exemplis quae jam supra pag. 12. et 13. commemoravi, ubi multi versus ex Homero hausti sunt, et illis quibus Homerus, Vergilius, Silius eisdem fere verbis utuntur, (comparationes enim petunt a fluctibus vento tumescentibus Homerus Il. Δ, v. 422, Vergilius Georg. 3, 237, Silius 1, 468; sive ab apibus catervatim volantibus Homerus Il. B, 87, Vergilius Aen. 1, 430 et 6, 707, Silius 2, 217; sive a Tartari altitudine Homerus Il. Θ, 14 (Hesiodus Theog. 720), Vergilius Aen. 6, 577, Silius 3, 483; sive a bestia etsi vulnerata in hostes irruente Homerus Il. M, 45, Vergilius Aen. 9, 551, Silius 10, 2; sive a flammis quibus saltus uruntur Homerus Il. Y, 490, Vergilius Aen. 10, 405, Silius 7, 364 et quae sequuntur) paucos tantum versus qui ex Vergilio non sunt petiti attulisse liceat.

Legitur libro tertio ubi Mercurius Hannibali somnianti apparet eumque hortatur ut in Italiam proficiscatur hic versus (172): Turpe duci totam somno consumere noctem, quocum compares Il. B, v. 24:

οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα.

Tum compares vers. 281. et 282. libri quinti:

vel territa pennas
Conligit accipitrem cernens in nube columba

cum Iliad. Φ, versibus 493 et 94: ὥς τε πέλεια
ἥ ῥά θ' ὑπ' ἴρηκος κοίλην εἰσέπτατο πέτρην…

Sequitur locus lib. 5. v. 395 sqq.:

Ceu pater Oceanus cum saeva Tethye Calpen
Herculeam ferit, atque exesa in viscera montis
Contortum pelagus latrantibus ingerit undis:
Dant gemitum scopuli....

ad quos versus conferas Il. Ξ, v. 394 sqq.:

οὔτε θαλάσσης κῦμα τόσον βοάᾳ ποτὶ χέρσον,
ποντόθεν ὀρνύμενον πνοιῇ Βορέω ἀλεγεινῇ.

Postremo compares lib. 10, v. 164 sqq.:

ceu fulmine celsa
Aesculus, aut, proavis ab origine cognita quercus
Quum fumat percussa Jovi, sacrosque per aevum
Aethereo ramos populantur sulfure flammae,

cum Homeri versibus Il. lib. Ξ, 414 sqq.

ὡς δ' ὅδ' ὑπὸ πληγῆς πατρὸς Διὸς ἐξερίπῃ δρῦς
πρόρριζος, δεινὴ δὲ θεείου γίγνεται ὀδμὴ
ἐξ αὐτῆς...

Haec exempla quorum numerus multis aliis facillime augeri possit sufficiant. Laudem vero splendidissimam qua consecraret quasi monumento quodam memoriam ejus viri cui multa debet, Silius lib. 13, v. 778—797. et deinde v. 800—808. carmini intexuit, ubi Scipio apud inferos inter alias Homeri quoque umbram conspicatur, quam multae sequuntur mirantes animae. Scipio enim haec dicit:

v. 781: ....nam luce refulget
Praecipua frons sacra viro, multaeque sequuntur
Mirantes animae et laeto clamore frequentant.
Qui vultus! quam (si Stygia non esset in umbra)
Dixissem facile esse Deum!...

Scipioni autem Sibylla haec respondet versibus 786 sqq.:

... meruit deus esse videri,
Et fuit in tanto non parvum pectore numen.
Carmine complexus terram, mare, sidera, manes,
Et cantu Musas et Phoebum aequavit honore sqq.

Constat igitur his ita perlustratis Silium Livii, Vergilii, Homeri libris accuratissime studuisse, ita ut nonnunquam sive prudens et sciens, sive invitus in eadem verba incideret.

CAPUT ALTERUM.

Ennius.

Ennii annales Silium in carmine suo elaborando adhibuisse adhuc nullus quantum scio professus est; sunt etiam qui negent hoc esse factum (conferatur Cosackius l. l. p. 18). Neque nescio multos fortasse dubitare num Silius Ennii libros legerit. Jam supra enim (pag. 3.) commemoravi Silii aetate parum firmum et rectum eorum judicium esse judicatum qui poetas antiquiores aestimavissent, et Ennius postissimum a multis illius saeculi poetis scriptoribusque deridetur et vituperatur. Conferas enim Horatii epist. lib. II, ep. I, v. 50. sqq.

> Ennius et sapiens et fortis et alter Homerus,
> Ut critici dicunt, leviter curare videtur
> Quo promissa cadant et somnia Pythagorea;

quibus in versibus satis inest ironiae. Sive conferantur Artis poet. versus 259. sqq.:

> ... et Enni
> In scenam missos cum magno pondere versus
> Aut operae celeris nimium curaque carentis
> Aut ignoratae premit artis crimine turpi.

Nec paucis locis Satirarum Ennius similibus verbis reprehenditur. Sic Ovidius quoque Amor. I, 15. 19. dicit: Ennius arte carens, et apud Propertium lib. 4, eleg. I, v. 61. legimus: Ennius hirsuta cingat sua dicta corona. Nec non Martialis qui epigrammate 90, libri XI. veteres poetas et Ennium quidem hoc versu: Attonitusque legis: terrai frugiferai (est annalium versus 479. editionis Vahleniae) deridet, haec habet: Vis imiter veteres Chrestille tuosque poetas? Dispeream ni scis mentula quid sapiat. Et Seneca epist. 58, 3. haec scribit: non id ago nunc hac diligentia ut ostendam quantum tempus apud grammaticum perdiderim sed ut ex hoc intelligas quantum apud Ennium et Accium verborum situs occupaverit cum apud hunc quoque qui cotidie

excutitur aliqua nobis subducta sint. His igitur quibus plura afferre poteram, scriptores illi cum suum tum aetatis illius judicium de Ennio produnt. Sed utut res se habet, jam ex eo quod scriptores illi judicium suum de Ennio faciunt apparet cognosse et legisse eos Ennium, nec raros fuisse Ennii libros in bibliothecis hominum illius aetatis doctorum. Silium autem in villis suis quarum plures in Campania possidebat multum ubique librorum, multum statuarum, multum imaginum habuisse Plinius nos docet epist. lib. III, ep. 7, §. 8; inter quos libros Ennii quoque carmina fuisse non negaturum esse quemquam censeo. Illam vero librorum et statuarum copiam a Silio non solum ostentationis aut ambitionis causa esse collectam ex eis quae addit Plinius verbis elucet: „quas non habebat modo, verum etiam venerabatur." Deinde jam supra demonstravimus Silium eos scriptores quos sequatur laudare: laudat enim Vergilium, laudat Homerum, laudat Ciceronem. Jam vero legas lib. 12, versum 393. et qui sequuntur, ubi describitur illud bellum in Sardinia contra Hampsagoram et Hostum filium ejus gestum (Liv. 23, 40. 41.). Sardinii enim, quamquam a Torquato jam fugati et in silvarum latebras pulsi sunt, Punica classe appulsa Poenis iterum se jungunt iterumque contra Romanos pugnant. In describendo hoc proelio Silius haec habet:

v. 390: Sed vos, Calliope, nostro donate labori
Nota parum magni longo tradantur ut aevo
Facta viri, et meritum vati sacremus honorem.
Ennius, antiqua Messapi ab origine regis,
Miscebat primas acies, Latiaeque superbum
Vitis adornabat dextram decus: hispida tellus
Miserunt Calabri; Rudiae genuere vetustae:
Nunc Rudiae solo memorabile nomen alumno.

Is fortissime pugnat magnamque inter hostes caedem edit; sed ictus hastae quam Hostus in eum conjicit ab Apolline ipso avertitur et Hostus in acie cadit. Deus enim ipse de Ennio haec praedicit:

v. 408: ...sacer hic, ac magna sororum
Aonidum cura est, et dignus Apolline vates.
Hic canet illustri primus bella Itala versu,
Attolletque duces coelo; resonare docebit
Hic Latiis Helicona modis, nec cedet honore
Ascraeo famave seni....,

qui versus nos commonefaciunt versus illius Enniani: Latos per populos terrasque poemata nostra Clara cluebunt. Quae laus cum ipse Apollo inducatur qui hunc vatem tueatur, et ab ipsa Musa petatur quae faciat ut laudes Ennii Silii carminibus ad posteritatis memoriam tradantur, nonne inter Vergilii aliorumque laudes longe praestat? Itaque Silium non solum Ennium cognitum habuisse, sed etiam magni eum aestimasse persuasissimum mihi est, neque dubito quin multa ex libris Ennii hauserit, multa ad ejus exemplum adumbraverit. Jam vero de ratione inter utrumque intercedente vere docemur comparatione utriusque carminum instituta:

1., In pugna ad Ticinum facta Tyrrhenus tibicen a Peloro juvene occiditur, cujus mors libri 4, v. 171. sqq. his verbis describitur:

Haesit barbaricum sub anhelo gutture telum,
Et clausit raucum letali vulnere murmur.
At sonūs, extremo morientis fusus ab ore
Flexa pererravit mutis jam cornua labris.

Quae cum Silius scriberet hos Ennii versus ante oculos ei fuisse apparet, inter incertae sedis fragmenta v. 508. et 509:

cumque caput caderet carmen tuba sola peregit
et pereunte viro raucum sonus aere cucurrit.

(Praesto mihi est liber qui inscribitur: Ennianae poesis reliquiae recensuit Joannes Vahlen. Lipsiae MDCCCLIV.)

2., Neque tamen Romani, quamquam hac in pugna permagnus numerus eorum caeditur pedem referunt, sed milites utrimque adeo conferti densique pugnant ut spatium jaculorum conjiciendorum desit. Quam caedis rabiem, tantopere subito exortam ut arma furori vix sufficiant, Silius describit vers. 351. sqq., lib. 4:

.... *teritur* junctis umbonibus umbo
Pesque pedem premit ....

Quae verba fere eadem lib. 9, v. 325, in pugnae Cannensis descriptione huic simillima leguntur:

Pes pede virque viro *teritur.*

Ad quos versus conferas Ennii fragmentum (inter incertae sedis fragmenta v. 559.):

.. *premitur pede pes* atque armis arma *teruntur.*

3., Pugna ad Trebiam commissa uterque exercitus in hiberna concedit; mox autem Juno Hannibalem hortatur ut in Etruriam proficiscatur et ad Trasumenum lacum castra ponat. Quo facto castrisque positis senatores Carthaginienses adveniunt qui nuntiant: esse decretum ut filius ejus dis patriis immolaretur. Hunc morem fuisse Silius dicit lib. 4, v. 763. sqq.:

Mos fuit in populis, quos condidit advena Dido,
. . . . flagrantibus aris
. . . . parvos imponere natos.

Ex Livio aliove scriptore historico Silius hoc episodium quod a versu 763. usque ad versum 822. pertinet non hausit quia nemo eorum simile quid narrat. Neque ullo alio loco apud eos scriptores quos secutus est Silius hujus moris mentio fit, nisi apud Ennium solum, cujus in annalium libro octavo hic versus legitur (278.):

Poeni suos soliti dis sacrificare puellos.

Qua occasione mos ille Poenorum pueros dis sacrificandi memoratus sit nescimus, nisi facimus Ennium primum fuisse qui hoc invenerit: adfuisse senatores Carthaginienses ante pugnam ad Trasumenum factam, qui ducis filium dis sacrificandum poposcissent. Haec autem si ab Ennio non afuerunt credibile est Silium ad ejus narrationem suam adumbrasse. (Conferantur quae dixit Vahlenius pag. LXII.)

4., Copiis e Capua eductis Hannibal vicina oppida aggreditur civibusque magnam injicit trepidationem. Conferas enim libr. 12, v. 11. sqq.:

At Libyci ducis ut fulserunt signa per agros
Desolata metu cuncta....

Neque tamen Neapolin, Cumas, Puteolos expugnare potest, quapropter postquam regionem propinquam perlustravit, iratus Puteolos redit agrosque vastat:

> .... regressus ad altos
> Inde Pherecyadum muros frondentia laeto
> Palmite devastat Nysaea cacumina Gauri.

Deinde a Marcello ad Nolam victus multas alias Italiae inferioris urbes diripit, incendit, solo aequat, agros ubicunque vastat. Conferantur hi versus 420. sqq.:

> At Libyae ductor, Marcello fractus, et acri
> Contusus pugna, campos damnarat, et arma
> Verterat ad miseras ..... sequuntur urbium nomina.

Non dubito huc referre Ennii versum (inter incertae sedis fragmenta v. 487.):

> Deque totondit agros laetos atque oppida cepit.

5., Enniana formula inest in versu 78, libri quinti decimi:

> At, quis aetherei servatur seminis ortus,
> Coeli porta patet.

Conferas enim Ennii versum epigram. 10. (pag. 163, apud Vahlenium)

> Mi soli caeli maxima porta patet.

6., Pugna ad Ticinum facta uterque exercitus ad Trebiam flumen proficiscitur, ubi Hannibal Romanos ad novum proelium irritat. Romani autem disperguntur et Trebia flumen precibus Junonis obtemperans undas suscitat. Quam rem Silius descripsit lib. 4, v. 573. sqq.:

> Tum Trebia infausto nova proelia gurgite fessis
> Inchoat ac precibus Junonis suscitat undas.
> Haurit subsidens fugientum corpora tellus,
> Infidaque soli frustrata voragine sorbet....

Non dubito quin huc referendus sit Ennii versus (inter incertae sedis fragmenta v. 558.):

> Atque manu magna Romanos impulit amnis.

7., Jam supra (pag. 18.) de illo loco disputavi ubi Ennius ipse inducitur in Sardinia contra Poenos pugnans. Nec non Cornelius Nepos in vita Catonis

cap. 1, §. 4. tradit: „Praetor (Cato) obtinebat provinciam Sardiniam, ex qua quaestor superiore tempore ex Africa decedens Q. Ennium poetam deduxerat . . . . ." Cognosse igitur cum in Sardinia fuerit ejus insulae situm, formam, naturam, incolas, eorum originem credibile est. Exstat autem apud Silium lib. 12, v. 355. sqq. venusta Sardiniae descriptio quam hausisse Silium e Pausaniae libro decimo Ernestius putat; non aliter enim intellegere possum haec verba: „de qua insula locus classicus est Pausa. lib. X, cap. 17. unde poeta haud dubie profecit." Hunc autem non levem esse errorem constat, et miror quod Rupertius quoque illa verba repetiit. Contra Ennium fuisse auctorem cui Sardiniae insulae descriptionem debeamus censeo et ex Ennio fortasse haec carminis Siliani pars fluxit. Conferantur illi versus de Sardinia insula dicti:

(352.) fraude loci nota, tenebrosa per avia saltus Evolat, ...
(354.) Virgulta tegitur valle ac frondentibus umbris.
(371.) Sed tristis coelo, et multa vitiata palude.
(376.) Hoc habitu terrae nemorosa per invia crebro . . . .
(380.) Haud mora; prorumpit latebris . . . .

quos versus compares cum Enniano versu (inter incertae sedis frag. v. 557.):

Silvarum saltus latebras lamasque lutosas.

8., Omnium virium nisu postquam Hannibal Alpes superavit et Italia patens apertaque ante pedes ejus est, Venus Romanis suis timens et de periculo ipsis imminente anxia, apud Jovem de Hannibalis coeptis conqueritur (lib. 3, v. 577. sqq.). Quam Juppiter consolatur fata futura Romanorum ei interpretatus. Inter quos versus etiam hi leguntur:

(v. 590.) Jamque ipse creatus,
Qui Poenum revocet patriae, Latioque repulsum
Ante suae muros Carthaginis exuat armis.

Promittit igitur Juppiter Veneri pro Romanis roganti excidium Carthaginis. Jam vero Servius in Aen. I, 20. haec tradidit: „in Ennio enim inducitur Juppiter promit-

tens Romanis excidium Carthaginis." Quodsi res ita se habet, — neque est cur dubitemus — certo versus illos Ennianos in ea parte annalium qua bellum Punicum descriptum erat, et hoc quidem loco fuisse credo. Quamvis enim et de duobus aliis locis cogitari possit quibus apud Silium Juppiter similia promittens inducitur, illud tamen Servii dictum huc referre non dubitavi. Nam in pugna ad Zamam facta Juppiter Junoni res e nubibus procul lustranti fata futura pandit. Cui respondet Juno se non eo consilio pugnam contemplari ut fata mutet aut bellum moretur, sed id unum se petere a conjuge ut neque Hannibalem capi aut perire, neque Carthaginem dirui patiatur. Quod Juppiter ei promittit, sed haec addit verba (17. 373.):

> Non longa supersunt
> Fata urbi, venietque pari sub nomine ductor
> Qui nunc servatas avertat funditus arces.

De hoc tamen loco disputare vix opus esse puto; non enim apud Ennium Juppiter promiserit illud Carthaginis excidium quod bello Punico tertio a Scipione Aemiliano fiebat, sed verba ita esse intellegenda censeo quae ad finem alterius belli Punici spectent, neque aliud significent nisi hoc: Hannibal et Carthago a Romanis tandem vincentur. Alter locus lib. 9. exstat vs. 524. sqq.: Atrocissime pugnatur et Itali signa jam convertunt. Sed Aeolus precibus Junonis motus ventum movet et Romanos in pugnando prohibet, ita ut ne Marti quidem parcatur, qui eo iratior in Poenos furit. Itaque Minerva Jovem ut Martem in Poenos furentem coerceat rogat et Juno, seu summa ira seu calliditate mota Jovi contra suum ipsius consilium persuadere studet ut perdat Carthaginem fulmine icto quo potentiam suam ostendat. Cui Juppiter miti oratione haec respondet (lib. 9, v. 543.):

> Certatis fatis . . . . .
> Ille (scil. Scipio), o nata, libens cui tela inimica ferebas
> Contundet Tyrios juvenes, ac nomina gentis
> Induet et Libycam feret in Capitolia laurum.

Ad hunc locum Vahlenius illud Servii dictum referendum esse censet, qui praefationis pagina LXIII. haec dicit: „In medio pugnae ardore cum jam victoria ad Poenos vergeret, poeta deorum concessum expandit: Juno satiata tandem calamitate invisorum ipsi Romanorum se fautricem eis in posterum fore profitetur: ac Juppiter, *exoratus fortasse a Venere*, promittit Romanis excidium Carthaginis." Sed libro nono apud Silium Juppiter non Venerem, cujus nulla fit mentio, sed Junonem alloquitur: „ille, o nata etc." Promitto autem aliquid petenti alicui vel roganti, vel volenti, non vero ei qui sive summa ira sive taedio malorum motus aliquid fieri jubet, vel potius ut hoc loco nolenti alicui. Contra illo tertii libri loco Veneri petenti rogantique ut Juppiter Romae patrocinetur pater promittit: Poenos non esse victuros, sed victum iri a Romanis. Itaque ad hunc libri tertii locum illud Servii dictum refero atque similem fuisse narrationis tenorem apud Ennium atque apud Silium illamque carminis partem, quae apud Silium lib. 3, vs. 557. sqq. exstat, apud Ennium jam fuisse persuasum habui.

9., Ad hunc locum alium huic simillimum adjungere liceat. In pugna enim Cannensi per aliquantum temporis aequis viribus et pari fortuna pugnatur. Postremo autem victoria in Poenos vergit quamvis Mars miserrimam inter eos stragem edat. Hic ut avocetur Minerva et Juno (conferatur lib. 9, v. 526. virgo socia Junone) Jovem rogant, adduntque se non adesse ut deleant Romanos (cf. lib. 9, v. 530: non Teucros-non Teucros delere aderam), sed ut pro Hannibalis solius vita deprecentur. Juno autem satiata tandem calamitate Romanorum se fautricem eis in posterum fore profitetur versibus 536. sqq.:

Immo, ait, ut noscant gentes, immania quantum
Regna Jovis valeant . . . . : discute telo
Flagranti . . . . Carthaginis arces,
Sidoniamque aciem vasto telluris hiatu
Tartareis immerge vadis, aut obrue ponto.

Quae Junonis preces sive sint ironice sive vere dictae aliquid admirationis habere non negabis si animadverteris

quomodo haec dea in illis qui antecedunt libris ficta sit. Haec enim inimicissima quondam Trojanis, cum videat Romanos ex stirpe Trojana oriundos opibus potentiaque jam valentes aemulos Carthaginiensium aliquando evasuros esse, Poenorum animos bellandi furore exstimulat (lib. 1, vs. 29—33.). Itaque Hannibalem ad bellum inflammat (lib. 1, v. 63.); tum Tissiphonen ab inferis evocat quae Saguntinos Romanorum socios ad desperationem rabiemque vertat (lib. 2, v. 526.); deinde a Trebia flumine petit ut Romanos undis perdat (lib. 4, v. 574.), suisque machinationibus efficit ut Flaminius vir temerarius ac superbissimus Romae Consul creetur (lib. 4, 709.). Sequitur ut in numen Trasumeni lacus conversa Hannibali in somno appareat eumque hortetur, ut nova pugna vincat Romanos (lib. 4, v. 722.); tum sola deorum in Apennino sedens oculos pascit caede Romanorum (5. 206.); porro Romae senatorum animos perturbat eosque impellit ut consilia reipublicae perniciosa capiant (lib. 7, v. 511.); denique efficit ut Aeolus Volturnum ventum Romanis immittat ab eoque petit ut perdat Romanos (lib. 9, v. 494.). His igitur omnibus locis Juno Romanis quoquo modo nocet infestissimamque se eis praebet. In reliqua autem carminis parte ea ita fingitur ut nonnumquam pro Romanis agere videatur, nonnumquam res Carthaginienses prorsus negligat; non enim inducitur nisi Hannibali soli patrocinans. Conferas enim locos qui sequuntur lib. 10, v. 42., ubi Paullum qui Hannibalem investigat hortatur ut e pugna abeat; nam (v. 50.):

> si superest Paullus restant Aeneia regna,
> Sin secus, Ausoniam tecum trahis . . . . .
> . . . . Latio spes unica consul.

Ejus tamen furorem cum sedare non possit in formam Gelestae Mauri iterum conversa (10. 83.) ficta oratione de horrida caede quam Paullus ad ripas Aufidi edat Hannibalem ab itinere Romam faciendo retinet, atque cum is nihilosecius Romam proficiscatur et ante Urbis portas castra ponat, in ipsa sua forma ei apparet (12. 701.) visumque ejus acuit ut deos pro Romanis pugnantes, qui colles Romae arcem-

que tueantur, cernere possit. Nec non Hannibalem amovet cum Marcellus ad certamen singulare eum provocaverit (12. 201.) et in pugna ad Zamam facta (17, v. 341; deinde v. 552—664.) Carthaginienses vinci sinit de Hannibale solo sollicita. Legantur enim lib. 17, v. 357. sqq.:

Tum supplex Juno: Neque ego mutare laborans
Quis est fixa dies, pendenti nube resedi:
Nec revocare acies, bellumve extendere quaero,
...... vertat terga Hannibal hosti ...

Quae cum ita sint negari non potest Junonis odium in Romanos acerrimum, quod initio carminis describitur, paullatim magis magisve levari, ita ut ea dea quae in priore carminis parte Romanis infestissima fingitur in altera placata nonnumquam pro eis agere videatur. Neque dubito quin ab Ennio simili ordine eadem fortasse ministeria ac machinationes Junoni tributa fuerint, cum Servius in Aen. I, 281. tradat: „bello Punico secundo, ut ait Ennius, placata Juno coeperit favere Romanis,“ quibus in verbis hunc inesse versum putaverunt (v. 289.):

Romanis Juno coepit placata favere.

10., Describitur apud Silium lib. 1, v. 260. Hannibalis natura atque indoles. Is enim frigus et calorem patienter tolerat, vertice nudo imbres excipit, meridie quo sol medium coeli spatium tenet umbram contemnit,

exercetque sitim et spectato fonte recedit.

Quo cum versu comparo Ennii fragmentum (inter incertae sedis fragmenta vs. 546.)

Contempsit fontes quibu' sese erugit aquae vis.

11., Agitur de lib. 3, vers. 477. sqq. Summis cum laboribus et periculis milites Carthaginienses ad Alpium jugum contendunt. Sed:

(v. 479.) cuncta gelu canaque aeternum grandine tecta
atque aevi glaciem cohibent; ....
(v. 488.) .... sedesque tuetur
Perpetua deformis hiems;

atque milites quamquam Hannibal vires jam lapsas revo-

care studet, arma sarcinasque vix gestare possunt; nam (v. 522.):

abscisa relinquunt
Membra gelu fractosque asper rigor amputat artus.

Non dubito quin in simili hujus narrationis conexu apud Ennium ei versus fuerint qui exstant apud Vahlenium inter incertae sedis fragmenta v. 481. et 482:

viresque valentes
Contudit crudelis hiemps.

Rarius autem quam aliis locis hac carminis parte ubi Silius Alpium altitudinem et transitum periculosissimum describit, aliorum poetarum vestigia invenimus; fortasse igitur non pauci Ennii versus hoc potissimum loco apud Silium exstant. (Conferas et ea quae pag. 22.—24. dixi.)

12., Sequitur narratio doli illius Hannibalis, qui, cum a Fabio inter Formiana saxa ac Literni paludes clausus teneretur, boves sarmenta incensa cornibus gerentes versus hostium castra emisit sperans fore ut Romani terrore perturbati e latebris excederent. Quae res a Silio lib. 7, v. 352. sqq. describitur, ubi et hi leguntur versus:

(356.) per altos
Saxosi scopulos montis lymphata feruntur
Corpora anhela boum atque obsessis naribus igni
Luctantur frustra rabidi mugire juvenci.

Quae eadem res nescio an his frustulis significetur apud Ennium (inter incertae sedis fragmenta v. 571.):

. . . clamore bovantes,

quem versum de bobus esse dictum Varro de l. l. VII, 104. M. nos docet, et v. 588.:

. . . funduntque elatis naribus lucem.

Varios enim fontes Silium hoc loco secutum esse multis ex rebus apparet. Primum enim Livii narrationem amplificat quod Acherrae et Maraxis mentionem facit; deinde contra Livii (22, 16.) et Polybii (3, 93.) auctoritatem qui Hasdrubali negotium datum esse tradunt ut primis tenebris noctis id armentum accensis cornibus ad montes ageret, jussum illud Magoni esse datum narrat; denique apud eum

res noctu disputatur et media nocte boves dimittuntur; conferas enim versum 332.:

> nunc nocte utendum est; arentes nectere frondes
> cornibus — germanus parat;

sed paulo infra versu 351. Silius ipse secundum Livii narrationem tradit primis tenebris boves aliquanto ante signa actos esse; postremo versu 294. sqq. non pauca ad Homeri exemplum Il. K, v. 74. sqq., v. 154., v. 157. sqq. adumbrata addidit.

13., Ante pugnam Cannensem Hannibal ut fortitudinem militum augeat praemia nominatim recenset quae fortibus destinata sint, et Carthaginiensibus quidem agros et multa alia dona, populis externis civitatem Carthaginiensem se daturum esse promittit. Apud Silium igitur Hannibal haec dicit lib. 9, v. 209:

> Qui vero externo socius mihi sanguine Byrsae
> Signa moves, dextram Ausonia si caede cruentam
> Attolles, hinc jam civis Carthaginis esto!

Sine dubio ad eandem rem spectat Ennii versus (284.):

> Hostem qui feriet mihi erit Karthaginiensis
> Quisquis erit . . . .

Simile quid Livius quoque narrat; neque tamen ante hanc pugnam, sed cum ad Ticinum proelium pararetur; ibi enim Hannibal dicit apud Livium 21. 45. qui sociorum cives Carthaginienses fieri vellent potestatem se facturum. Sed ante pugnam Cannensem apud Livium neuter dux orationem habet; contra apud Polybium uterque, apud Silium solus Hannibal. Jam vero cum ille versus Ennianus qui vix ad aliud quid spectare potest nisi ad orationem Hannibalis ante pugnam habitam, annalium libro octavo exstet, nullus autem versus qui ad orationem Varronis eodem tempore habitam referri possit, apud Ennium quoque solum Hannibalem milites ante pugnam inflammantem esse inductum censeo. Illa igitur orationis argumenta quae Silius ex Livii lib. 21, cap. 43. sqq. videtur sumpsisse, ab Ennio jam esse prolata unde et Silius et Livius hauserint, credibile est.

14., Variis libri duodecimi locis Hannibal copias suas Capuae luxuria vitiisque enervatas increpat. Conferantur enim illius libri versus 68—81, deinde 204—209; denique 282—292. In simili rerum conexu versum fuisse censeo Ennii (inter inc. sed. frag. v. 521.):

Pandite stulti genas et corde relinquite somnum.

Conferantur enim et illi versus Silii, quibus somno potissimum et vino nimis indulsisse Hannibalis copias dicit, ut

lib. 11. 398. amplexu multoque mero somnoque virorum
profliganda acies;
lib. 11. 418. mollitae flammis lymphae languentia somno
Membra fovent.
lib. 12. 19. . . . molli luxu madefacta meroque
Illecebris somni torpentia membra fluebant.

Ad quam rem fortasse referendus est ille versus Ennianus (291.):

Nunc hostis vino domiti somnoque sepulti.

15., Syphax, rex opulentissimus Massyliorum quamquam foedus cum Scipione fecerat, postea tamen ducta in matrimonium Hasdrubalis filia ad Poenos desciscit. Sed copiis ejus prima pugna fugatis castrisque incensis vivus capitur et vinctus ad Scipionem ducitur. Hanc rem Silius lib. 17, v. 139. sqq. sic narrat:

. . . tum vincla viro manicaeque . . .
Addita, et, exemplum non unquam fidere laetis,
Sceptriferas arta palmas vinxere catena.
Ducitur *ex alto dejectus culmine regni*,
Qui modo sub pedibus terras, et sceptra, patensque
Litora ad Oceani sub nutu viderat aequor.

His autem cum versibus compares Ennianas reliquias, (v. 316.):

mortalem summum fortuna repente
Reddidit e summo regno, ut famul infimus esset.

Vahlenius quidem, qui de hac re pag. LXVII. disseruit hos versus ad illam orationem referre vult qua Hannibal Scipionem hortatur ne nimis fortunae credat. Conferas enim Livium lib. 30, cap. 30: „melior tutiorque est certa

pax quam sperata victoria; haec in tua, illa in deorum manu est, ne tot annorum felicitatem in unius horae dederis discrimen" . . . Ad hoc tamen Ennii verba minus quadrare mihi videntur, cum Scipio „regnum" non obtinuerit, neque ulla illius orationis vestigia apud Ennium restent. Quo accedit, quod poetam epicum minime decet imperatorem quem semper fortissimum et bellicosissimum finxit, denique de pace orantem facere; itaque Silius quoque illa quae Livius, scriptor historicus de hac re tradidit, prorsus omisit, nec credere possum apud Ennium orationem quae similis fuerit Livianae, fuisse.

16., Sequitur pugnae ad Zamam factae descriptio. Priusquam autem copiae congrediuntur Hannibal milites suos hortatur et ita quidem ut singulas res a quoque milite praeclare gestas referat et ducum Romanorum exercituumque occisorum mentionem faciat. Quae postquam recensuit, sic pergit (v. 328, lib. 17.):

> Quid vos, quis claro deletum est Marte Saguntum
> Exhorter? quos nobilitant primordia belli?
> . . . . Certatus nobis hodie dominum accipit orbis.

Hujus orationis partem illum versum Ennii esse credo:

(318.): Sed quid ego haec memoro? dictum factumque facit frux!

17., Victoriae ad Cannas reportatae nuntium Mago Carthaginem affert, qui laetissima quaeque in curia de Hannibalis victoriis pronunciat. Ad fidem tam laetarum rerum effundi in curia jubet annulos equitibus Romanis detractos, civesque suos adhortatur ut Hannibalem auxiliis, pecunia, elephantis, frumento adjuvent, ut Roma hac clade graviter jam afflicta funditus evertatur. Simul Hannonem increpat verbis gravibus num etiam nunc eum poeniteat belli Romanis illati? Magoni autem respondet Hanno oratione satis invidiosa, qua auxilia dari dissuadet. Quae oratio Hannonis apud Silium lib. 11, v. 555. sqq. exstat, ubi hi leguntur versus:

> (558.) quin ne mutatum vanis absistere credat,
> nunc pacem orandum . . . .

(563.) Tela, viros, aurum, classes, alimenta precatur
Belligeramque feram — victus non plura dedissem.
(577.) .... citiusque haec foedera victor
Quam victus dabit ....

Jam Vahlenius p. LXIII. jure suo mihi dixisse videtur: Quodsi Ennius quoque aliquem Hannonem in suos annales intulerat, in ejus mentem videntur percommode quadrare haec:

(v. 485.): Qui vincit non est victor nisi victus fatetur.

18., Libro quarto decimo Silius oppugnationem Syracusarum narrat. Quae urbs cum omni apparatu oppugnaretur, Cimber quidam Syracusanorum turrim incendio delevit. Quae res his verbis describitur (v. 305. sqq.):

..... lampada Cimber
Conjicit et lateri telum exitiabile figit.
Pascitur adjuto Volcanus turbine venti,
Gliscentemque trahens turris per viscera labem.

Ad quos conferas Ennii versum (inter incertae sedis fragmenta 472.):

cum magno strepitu Volcanum ventus agebat.

Sunt autem et alii loci apud Silium huic versui similes. Legitur enim lib. 4, v. 680:

lucosque effusus in altos
Immissis crepitat victor Volcanus habenis;
lib. 5, 513: torquet Volcanus anhelos
Cum fervore globos flammarum ....
lib. 9, 603: pastusque sonoro
Ignis edax vento per propugnacula fertur ...
.... subitoque per alta
Conlucet juga dissultans Volcanius ardor;
lib. 17, 96: It totis inimica lues cum turbine castris
Atque alimenta vorat strepitu Volcanus, ...

Hi versus de castris Syphacis a Scipione incensis dicti sunt.

19., Syracusae autem jam faciles captu capi non possunt cum in castris Marcelli ante urbem positis et in ipsa urbe multi Romanorum Siculorumque cum pugnis tum

pestilentia subito orta absumantur. Quod Silius narrat lib. 14, v. 580—691. Exstant quidem multae pestilentiae descriptiones, quae huic sunt similes; sufficiat enim memorasse Thucydidem (lib. 2, cap. 47. sqq.), Vergilium (Aen. III, 137. sqq.), Ovidium (Met. 7, 518.), Lucanum (lib. 6, 80. sqq.), alios, ad quam rem paulo infra redibo. Sed cum hoc loco non solum de ea morte, quae morbo, sed etiam de ea quae ferro imminet dicatur, ad quod conferas Silii versus 628. sqq.:

itur in hostem;
Et si fata ferant juvat inter proelia ferro
Posse mori. Socium miseret, qui sorte pudenda
In morem pecudum effudere ...... animam ...
.... vel nullo jacuisse sepulcro
Quam debellari morbis placet ...,

non dubito huc referre Ennianum versum (inter incertae sedis fragmenta v. 549.):

Hos pestis necuit, pars occidit illa duellis.

20., Hac in pugna Cannensi L. Aemilius Paullus ceciderat militesque campum lustrantes (lib. 10, v. 504. sqq.) cadaver ejus reperiunt. Laetatur quidem Hannibal de tanti viri morte; sed similem mortem aliquando sibi exoptat atque rogum exstrui jubet. Jam sequuntur hi versus (v. 527. sqq.):

Tum munera jussa,
Defessi quamquam accelerant, sparsoque propinquos
Agmine prosternunt lucos: sonat acta bipenni
Frondosis silva alta jugis. Hinc ornus et albae
Populus alma comae, validis accisa lacertis,
Scinditur, hinc ilex proavorum condita seclo.
Devolvunt quercus et amantem litora pinum,
Ac, ferale decus maestas ad busta cupressos.

Hac de re Livius perpauca tradit. Dicit enim lib. 22, cap. 52. consulem quoque Romanum (L. Aemilium) conquisitum sepultumque *quidam auctores* sunt; et paulo infra: tum sepeliendi causa conferri in unum corpora suorum jussit. Haec omnia sunt Livii vestigia. Illos autem versus imitationem esse Vergilii, interpretes Silii adnotaverunt et illius quidem loci lib. Aen. 6. v. 176. sqq., ubi Aeneas

Miseni cadaver in litore inventum exurit. Neque negari potest similes esse illos versus; sunt enim hi:

Tum jussa Sibyllae,
Haud mora, festinant flentes; aramque sepulcri
Congerere arboribus coeloque educere certant.
Itur in antiquam silvam, stabula alta ferarum:
Procumbunt piceae: sonat icta securibus ilex,
Fraxineaeque trabes: cuneis et fissile robur,
Scinditur: advolvunt ingentes montibus ornos.

Sed apud Ennium quoque fere eidem exstant versus quos de rogo exstruendo esse dictos Vahlenius pag. LII. demonstravit. Sunt autem hi (v. 193. sqq.):

Incedunt arbusta per alta, securibus caedunt,
Percellunt magnas quercus, exciditur ilex,
Fraxinus frangitur atque abies consternitur alta,
Pinus proceras pervortunt: omne sonabat
Arbustum fremitu silvai frondosai.

Certo igitur constat Ennium hoc loco, ut saepius, praeivisse Vergilio; quaeritur utrum ex Ennio, an ex Vergilio hauserit Silius. Quam quaestionem, cum alia ad Ennium, alia ad Vergilium pertineant, ita facillime ad liquidum perduci posse censeo, ut utroque poeta Silium esse usum faciamus. Conferas enim hoc: Recensentur hae arbores:

apud Ennium: ilex, quercus, pinus, fraxinus, abies.

apud Silium: ilex, quercus, pinus, — — ornus, populus, cupressus . . .

apud Vergilium: ilex, — — fraxinus, — ornus — — robur, picea.

Porro compares inter se hos versus:

apud Silium: sonat acta bipenni *frondosis silva* alta *jugis;*

apud Ennium: omne sonabat Arbustum fremitu *silvai frondosai;*

apud Vergilium: sonat icta securibus ilex.

Tum:

apud Silium: Devolvunt quercus et amantem litora *pinum,*

apud Ennium: Percellunt magnas *quercus* . . . *pinus* proceras *pervolvunt.*

Denique:

apud Silium: Tum munera jussa Defessi ... accelerant ...

apud Vergilium: Tum jussa Sibyllae, Haud mora, festinant . .

Nolui hoc exemplum omittere cum ex eo magis quam ex aliis appareat Ennii reliquias in Vergilii quoque carminibus inesse. Silius autem qui utrumque poetam pervolutaverat, cum illos libri decimi versus scriberet meminerat certo et Vergilii et Ennii versuum; itaque Vergilium solum hoc loco eum esse secutum nolim putare; immo ea quae maxime sibi placerent ex utroque hausisse poeta credibile est. Licet fortasse in consortium illorum Ennii versuum ex incertis fragmentis hos addere:

v. 562: populea frus....

(apud Silium: populus albae comae); et versum 267:

longique cupressi
Stant rectis foliis et amaro corpore buxum,

(apud Silium: maestas ad busta cupressos; utraque enim arbor apud Vergilium non legitur.) Ennius igitur fortasse inter illos „auctores quosdam" fuit, quos Livius tradit narrasse consulem conquisitum sepultumque esse.

21., Rempublicam Romanam graviter afflictam Fabius cunctando restituit. Hannibal autem ira incensus quia se ludificari a Fabio intelligit agros vastat ut Romanos ad pugnandum lacessat. Nec non revera in castris Romanorum seditio orta erat quam Fabius sedat oratione habita qua rempublicam ab interitu non posse vindicari ostendit nisi prudentissima et cauta belli gerendi ratione. Qua in oratione apud Silium hi leguntur versus:

(7. 233.) Una ut debellet satis est victoria Poeno.
(237.) una reclusis
Omnes jam portis in campum effuderit hora.
(241.) Fortunae Libys incumbit, flatuque secundo
Fidit agens puppim .... (v. 245.) Non ulla perenni
Amplexu Fortuna fovet.

Quibuscum versibus compares Ennii versus 297. sqq. (cujus fragmenti occasionem velle indicare Vahlenius esse hariolari dicit):

. . . . multa dies in bello conficit unus:
Et rursus multae fortunae forte recumbunt:
Haudquaquam quemquam semper fortuna secuta est:

Apud Livium nulla exstat Fabii oratio; illam vero quae est apud Silium ad perfectissimos Silii locos adnumerandam esse interpretes censent. Itaque non dubito quin sententias illius orationis Ennio debeat Silius.

22., Nuntio victoriae a Marcello ad Nolam reportatae Romam allato, cujusque ordinis homines pecuniam aurum ornamenta sua in aerarium deferre certant et Patres omnia consilia in bellum convertunt. Hanc rem Silius lib. 12. v. 306.—319. narrat et hunc addit versum (318.)

Corpore sic toto ac membris Roma omnibus usa,
Exsangues rursus tollebat ad aethera vultus.

„Illorum temporum speciem amplexus animo videtur poeta" (conferatur Vahlenius pag. LIV. s. f.) cum scriberet v. 492. (inter inc. sed. frag.):

Moribus antiquis res stat Romana virisque.

23., Inter multos alios in pugna ad Ticinum facta occisos Ufentis quoque cujusdam mentio fit lib. 4, v. 341, qui ab Hannibale ipso ense interficitur et poplite succiso cadit. Versus est hic:

Ufentem collapsum poplite caeso
Ensis obit . . . .

quocum versu comparo Ennianum versum 279:

Is pernas succidit iniqua superbia Poeni.

Hic versus quin apud Ennium in prorsus simillimo rerum conexu fuerit atque apud Silium non dubito; ille Poenus enim apud Ennium qui multis pernas succidit Hannibal ipse est qui apud Silium l. l. multos trucidat, Ufentem poplite caeso necat. Leguntur autem apud Silium duo praeterea loci similes, quorum alter lib. 5, v. 547:

quem poplite caeso
Dum spolias gravis immiti cum turbine costas
Fraxinus irrupit . . . .,

alter lib. 10, v. 38. exstat:

Fratres hic humero cecidere, hic poplite caeso.

24., Paullus consul postquam Junonem quae in formam Metelli conversa illum hortata erat ut salutem fuga peteret gravibus verbis increpavit, ferociter in hostes irruit et Hannibalem investigans Acherram quendam caedit. Quo loco Silius comparationem a cane venatica petitam addit his quidem verbis (lib. 10, v. 77.):

Ut canis occultos agitat cum Belgicus apros
Erroresque ferae sollers per devia mersa
Nare legit, tacitoque premens vestigia rostro
Lustrat inaccessos venantum indagine saltus;
Nec sistit, nisi, conceptum sectatus odorem,
Deprendit spissis arcana cubilia dumis.

Quibuscum versibus compares Ennii v. 344. sqq.:

Sicut si quando vinclis venatica velox
Apta solet canis forte feram sei nare sagaci
Sensit, voce sua nictit ululatque ibi acute.

Exstat alia quoque comparatio huic simillima apud Silium lib. 3, v. 295., ubi de moribus Gaetulorum qui sunt in exercitu Carthaginiensi agitur:

Ceu pernix cum densa vagis latratibus implet
Venator dumeta Lacon, aut exigit Umber
Nare sagax e calle feras perterrita late
Agmina praecipitant volucres formidine cervi.

Cum vero non raro Ennius et Silio et Vergilio praeiverit, — cujus rei exemplum supra attuli pag. 32.—34. difficile est dictu utrum secutus sit Silius. Legitur enim eadem comparatio Aen. lib. XII, versibus 749. sqq., unde ille locus lib. 3, v. 295. petitus est (Aen. 12, v. 749.):

Inclusum veluti si quando in flumine nactus
Cervum, aut puniceae septum formidine pennae,
Venator cursu canis et latratibus instat:
Ille autem insidiis et ripa territus alta
Mille fugit refugitque vias: at vividus Umber
Haeret hians, ...

25., Inter eos quos Hannibal obtruncat Telesinus quidam est, cujus mortem Silius sic describit (lib. 10, v. 152.):

. . . dum supremam Telesinus in auras
Exhalat lucem, et dubitantia lumina condit.

Nec raro Silius cum de militibus ab hostibus detruncatis narrat similibus usus est verbis. Conferas enim lib. 2., v. 122.:

> Membra levat parvaque oculos jam luce natantes
> Irrorat lacrimis;

vel lib. 4, v. 239.:

> et divisum humeris jacuit caput;

vel lib. 5, v. 416.:

> . . avulsa est nam protinus hosti Ore simul cervix . . .

vel lib. 10, v. 456.:

> seminecem extremo vitam exhalabat in auras
> Murmure deficiens jam Cloelius oraque nisu
> Languida vix aegro et dubia cervice levabat;

vel lib. 15, v. 469.:

> Hujus cervicem gladio inter verba precesque
> Amputat; absciso durabant murmura collo.

vel lib. 17, v. 456.:

> Quaerebat miser morienti lumine fratrem.

Quibuscum versibus compares Ennii versum (inter inc. sed. frag. 462.):

> Oscitat in campis caput a cervice revulsum
> Semianimesque micant oculi lucemque requirunt.

26., Oratione ab Hannibale ante pugnam Cannensem habita (cf. No. 13.) milites utrimque in aciem irruunt. Cujus pugnae summus impetus a Silio v. 310., lib. 9. depingitur; milites enim in vicem se pugnando et caedendo superare certant, et unusquisque primus esse cupit qui hostem sternat.

> Nec vero prima in tantis concursibus hasta
> Ulla fuit: stridens nimbus certante furore
> Telorum simul effusus, cupidaeque cruoris
> Hinc atque hinc animae gemina cecidere procella.

Sequitur ampla cladis descriptio. Ad quam conferas haec fragmenta Ennii (v. 287. et v. 288.):

> Hastati spargunt hastas, fit ferreus imber;
> Densantur campis horrentia tela virorum.

Nolo tamen negari ejusmodi versus in nulla pugna locum

habere non posse. Simili enim modo Silius lib. 13, v. 181. cum Capua a Fulvio expugnatur, dicit:

tunc saxeus imber
ingruit et summis adscendunt turribus hastae

et alio loco lib. 14, v. 539.:

Perculsis cuneo Poeni densentur (alii densantur) in unum,

et lib. 17, v. 418.:

Graja phalanx patrio densarat more catervas.

27., Ad Varronem consulem referendum esse censeo illud Ennianum v. 329.:

debilo homo,

i. e. debilis homo, de quo Silius lib. 8, v. 258. dicit:

Idem, ut turbarum sator .... sic debilis arte Belligera.

28., In pugna ad Trebiam facta multis Romanis occisis, denique equi et elephanti in undas sese projiciunt clademque augent:

v. 594. Enabat tandem medio vix gurgite pulcher
Irpinus ......
Cum rapidis illatus aquis et vulnere multo
Impulit asper equus fessumque sub aequora mersit.
Accumulat clades subito conspecta per undas
Vis elephantorum ....

Ad quam narrationem conferas Ennii versus 237. sqq.:

denique vi magna quadrupes eques et elefanti
projiciunt sese ....

fortasse in undas. At dixerit quispiam haec duo Ennii fragmenta v. 237. et 258. sqq. quae in libro annalium septimo scripta fuisse Gellius XVIII. 5. 4. et Festus p. 166. M. tradunt ad hoc bellum contra Hannibalem gestum non esse adscribenda, cum septimum librum Ennius in bellum Punicum primum impenderit. Sed conferas quae Vahlenius qui de hac re capite quarto quaestionum Ennianarum uberius disputavit, pag. LVIII. dicit: „Poterat autem versus ille (i. e. versus 237.), *si quidem bellum punicum primum ad extremum librum pertinuit,*“ .... et paulo infra: „Verum si cui ne ea quidem quam exposui ratione materia sufficere videatur, qua totus liber ceteris mensura non dispar ex-

pleatur, *poterit ille in hunc librum initium quidem rerum Hannibalis relegare.* Cui rei infra apparebit proximi libri reliquias non obstare" ......

29., Elephanti igitur illi qui terrorem stragemque auxerant a Romanis verutis fortiter conjectis necantur. Quae res describitur lib. 4, v. 618.:

Stat multa in tergo et nigranti lancea dorso.

Saepius enim Silius elephantos atros vel nigros dicit; conferas enim lib. 9, v. 570.: appellitur atra Mole fera; . . . sive 9, 577.: Liventi dorso turris — sedet . . . ., sive 9, 240: propugnacula dorso Belua nigranti gestans . . . denique si Nikolai Heinsii conjecturam, mea quidem sententia felicem accipimus, lib. 3, v. 463.:

At gregis illapsu fremebundo territus atras
Expavit moles Rhodanus . . . . . (atras pro acris).

Exstat autem Ennii versuculus (inter inc. sed. frag. 465.):

It nigrum campis agmen,

quem de elephantis esse dictum Servius in Aen. IV. v. 404. nos docet, ubi haec eadem verba sed de formicis dicta leguntur. —

30., Libro sexto Silius narrationem de Regulo carmini suo intexuit. Cujus oratio, qua pacis conditiones captivorum redemptionem dissuadet, v. 467. sqq. exstat, ubi haec leguntur verba (v. 479.):

At non Carthago fraudum domus, inscia quantum
E nobis restet, juvenes parat . . . .
Ite dolos contra, gensque astu fallere laeta
Discat me capto quantum tibi, Roma, supersit.

Credibile est Ennii versum (inter inc. sed. frag. v. 486.) in simili rerum narratione fuisse:

Dum quidem unus homo Romanus toga superescit.

31., Hannibal omnibus agris circa vastatis ab uno Fabii agro ferrum ignemque et vim hostium abstineri jusserat, ut occulti alicujus pacti ea merces videri posset. Istas tamen suspitiones et infamiam Fabius non timebat, id quod Silius lib. 7, v. 269. sic dixit:

at non vacat aegre
Invidiam gladios inter lituosque timere
Et dubia morsus famae depellere pugna.

Quibus in verbis similis inest sententia atque in versu illo Enniano notissimo v. 314.:

Noenum ponebat rumores ante salutem.

32., Nec dubito quin Silio cum scriberet versus lib. 16, 672. sqq.:

Sat gloria cauto
Non vinci pulchra est Fabio, peperitque sedendo
Omnia Cunctator nobis . . . .

ante oculos fuerit notissimus ille Ennii versus (313.)

Unus homo nobis cunctando restituit rem.

33., Hannibale victo Scipio Romam redit splendidissimumque agit triumphum. Ad finem autem carminis sui Silius Scipionem laudibus effert (v. 650, lib. 17.):

Salve *invicte* parens!

Similes laudes Scipionis apud Ennium quoque fuisse ex verbis apparere censeo versus 321.:

Scipio *invicte!*

34., Libro tertio decimo de Scipione narratur, cui a Sibylla praeter multos alios viros Homerus quoque monstratur. Quem Scipio conspicatus ex Sibylla quaerit (v. 781.):

Dic, ait, hic quinam virgo? nam luce refulget
Praecipua frons sacra viro, ...
Qui vultus! quem si Stygia non esset in umbra
Dixissem facile esse deum!

Sed Ennius quoque ex Orco fingit Homerum escendere libro primo, ubi hi exstant versus (v. 6.):

visus Homerus adesse poeta . . .
Ei mihi qualis erat!

(De qua re conferatur Lucretius quoque lib. 1, v. 114. sqq.)

5., Legitur apud Silium lib. 1, v. 71.:

Ortus (scilicet Hannibal)
Sarrana prisci Barcae de gente . . . . .

Barcas auctor fuit gentis Punicae, quae gens Sarrana dici-

tur a prisco Tyri nomine Sarra. Cum enim Dido Tyro in Africam fugisset et Carthaginem condidisset; poetae Sarranus epitheto utebantur et ad Tyrum et ad Carthaginem pertinente. Nusquam tamen Carthaginienses Sarra oriundi dicuntur nisi apud Ennium Siliumque; apud Vergilium enim cujus in carminibus uno loco Sarranus legitur Georg. 2, 506. „Sarrano dormiat ostro", Sarranus est Phoeniceus sive Tyrius; itemque apud Juvenalem 10, 38.; apud Terentium Sarranus est Phrygius; contra apud Silium legimus praeter hunc locum de quo agitur, lib. 6, 468. Sarranaque Juno; 6, 662. Sarrana caedes; 7, 432. Sarranus navita; 8, 46. Sarrana numina; 9, 319. Sarrana manus, quibus locis Sarranus epitheton ad Carthaginienses spectat; et apud Ennium legitur v. 330.:

Poeni Sarra oriundi

(Conferas quae adnotavit ad hunc versum Vahlenius p. 49.)

36., Legitur apud Silium lib. 1. hic versus (527.):

Hic spolia Aeacidae ......

Hic versus ad Pyrrhum Epiri regem, a Pyrrho sive Neoptolemo Achillis filio, Aeaci pronepote genus ducentem referendus videtur. Cum autem hoc loco Aeacides etiam Perseus ultimus Macedonum rex ab eodem Achille oriundus esse possit, addo versus 94. et 95. libri 14.:

... Pyrrhus origo dabat stimulos,
proavique superbum Aeacidae genus ....,

ubi certo Pyrrhus Aeacides dicitur. Jam vero apud poetas multi homines Aeacidae appellantur, ut *Phocus* (Ovid. Met. 7, 668.), *Telamon et Peleus* (Ovid. Met. 8, 4. et 12, 365); *Achilles* (Verg. Aen. 1, 103. Sil. 13, 796. et saepe apud Statium in Achilleidos libris), *Achillis filius* (Vergil. Aen. 3, 296.), *Philippus II.* ejusque filius *Perseus* (Sil. 15, 292. et Verg. Aen. 6, 839.). Pyrrhus autem Epiri rex qui contra Romanos pugnavit nusquam Aeacides appellatur nisi a Silio illis locis et ab Ennio:

v. 186: Aio te Aeacida Romanos vincere posse,
v. 187: stolidum genus Aeacidarum.

Unus locus videtur obstare; Cicero enim dicit de Pyrrho (Off. 1. 12. 7.): Regalis sane et digna Aeacidarum genere sententia. Illo tamen loco Cicero illos ipsos versus Ennii quibus de Pyrrho Aeacida agitur modo laudavit: utitur igitur Ennii ipsius verbis.

37., Hannibal cum videret ad Capuam per hostes vix posse perrumpi secum statuit Romam ipsam petere.

Et nocte quidem eum esse profectum Silius tradit lib. 12, v. 507:

Titan dum gurgite lucem
Spirantes proferret equos, impellit in agmen
Voce manuque viros, et coepta immania pandit.

Sic Ennium quoque tradidisse apparet ex hoc versu (295.):

Ob Romam noctu legiones ducere coepit.

Sed etiam Livius rem eodem modo narrat, lib. 26, cap. 7.: „ubi tantam copiam (navium) esse ut una nocte trajici posset exercitus, adlatum est, cibariis decem dierum praeparatis deductas nocte ad fluvium legiones ante lucem trajecit. Neque negari potest Livium hoc loco ante oculos fuisse Silio, qui eadem tradat; quamquam discrepare inter se Livium et Silium et hoc ipso loco Ernestius jam monuit; nam Livius dicit lib. 26, cap. 7.: Cujus rei (sc. Romam petendi) semper cupitae occasionem praetermissam post Cannensem pugnam et alii vulgo fremebant et ipse non dissimulabat; contra Silius tradit v. 519. sqq.:

creduntque ducis sollertibus actis
Aptius id coeptum quam si duxisset ab ipso
Fatali Aeneadis campo.

Non autem attuli hoc exemplum ut demonstrarem ex Ennio solo hoc loco hausisse Silium, sed propterea quod ex illo elucet jam Ennium minutiores quoque res eodem modo tradidisse atque Livium et Silium.

38., Exstat apud Ennium hic versus 530:

effundit voces proprio cum pectore sancto.

Hoc voces effundere apud Silium saepius legitur. Conferas 3, 696: effudi pectore voces; 4, 526.: det Phoebus fundere voces; 8, 167: Has visa in somnis germanae effundere

voces; 9, 123.: Tum vox effunditur ore; 10, 365.: tunc vox effusa per auras; 14, 215.: Credere erat stabulis armenta effundere voces. Nolo tamen silentio praetermittere apud Vergilium hanc locutionem tribus locis me invenisse: Aen. 5, 482.; 5, 723.; 8, 70. —

39., Dum Apos profecti sunt

instincti pectora Poeni

(v. 242., lib. 8.) Romae M. Terentius Varro consul creatur. Ad quem locum conferantur Ennii verba eodem versus loco posita (312.):

perculsi pectora Poeni.

40., In pugna Cannensi Silius narrat lib. 9, v. 339. ne falaricam quidem afuisse i. e. ingens telum quamvis non nisi ad muros evertendos aptum. Haec vox apud Livium bis (21. 8. 10.; 34. 14. 11.;), apud Vergilium semel (Aen. 9, 705.), apud Lucanum semel (6, 198.) exstat. Praeterea legitur apud Ennium (inter inc. sed. frag. v. 534.):

Quae valido venit contorta falarica missu,

et ter apud Silium:

1, 351: Librari multa consueta falarica dextra;
6, 273: Jamque alvo penitus demersa falarica sedit;
9, 339: Interdumque ipsis metuenda falarica muris.

41., In Trebia flumine alii immerguntur, alii ab hostibus instantibus caeduntur, alii nando salutem petere student. Dicit enim Silius lib. 4, v. 585:

Ille celer nandi jam jamque apprendere tuta
Dum parat, . . .
Contorta ripae pendens affigitur hasta.
Hic hostem orbatus telo complecitur ulnis
Luctantemque vado permixta morte coercet.

Ennii versum 258:

Alter nare cupit, alter pugnare paratust . . .

in simili narrationis conexu fuisse credibile est. Conferas autem et illos versus lib. 14, v. 550. sqq., ubi pugna navalis describitur:

Mox sua ponto
Singultante anima propulsa refunditur unda.

Nec desunt qui correptos amplexibus artis
Immergant pelago et jaculis cessantibus hostem
Morte sua perimant.

42., Priusquam autem Silius ad ipsam pugnae Cannensis descriptionem accedit narrationem praemittit lib. 9, v. 66. sqq. de homine ex castris Poenorum profugo, a filio imprudenter interfecto. Suum arbitrium secutum esse Silium hac in re fingenda credibile non est; nam omnia fere ejusmodi episodia hausta esse ex aliquo scriptore pro certo affirmare velim. Cujus rei ut pauca tantum exempla afferam memorasse sufficiat episodium illud (lib. 2, v. 56—268.) de Asbyte Garamantum regina, quod finxisse Silium ad exemplum Camillae Vergilianae (Aen. 7, 803 et 11, 532. sqq.) luce clarius est; tum narratio certaminis ad quod in pugna Ticinensi fratres trigemini utriusque exercitus descendunt (lib. 4, v. 355.—395.), ad verbum fere adumbrata est ad illud certamen Horatiorum et Curatiorum, apud Livium lib. 1, cap. 24. narratum; porro Ovidii (Met. XV., 307.) et aliorum vestigiis ingressus est Silius in narrandis miraculis templi Jovis Ammonis (lib. 3, v. 669. sqq.); denique ex Cicerone (de Offic. 1, 32.) satis cognitam hausit narrationem Prodiceam de Hercule in trivio dubitante, quam translatam ad Scipionem (lib. 15, vs. 18. sqq.) tradit. Quibus exemplis multa alia addere poteram. Jam vero unde hanc de Satrico Solymoque narrationem hauserit Silius nescimus. Nam primam occasionem hujus omnis episodii arripuisse eum ex Livii libri 22. capite 42, id quod Ernestius dicit, nego. Livius enim nihil tradit nisi hoc: nam „forte ita evenit, ut . . . . servi duo . . . qui Servilio atque Atilio consulibus inter pabulatores excepti a Numidis fuerant, profugerent eo die ad dominos; deductique ad consules nuntiant omnem exercitum Hannibalis trans proximos montes in insidiis sedere.“ Quam narrationem Livianam si comparas cum Siliana parum inesse similitudinis ipse concedas. Sed exstat apud Tacitum (histor. lib. III, cap. 25.) de Julio Mansueto narratio similis, quam rem nominaque Tacitus se tradere dicit auctore

Vipstano Messala. Cum vero nusquam apud Silium ulla vestigia ex quibus Taciti vel illius Messalae libros notos fuisse Silio appareat, exstent, maxime dubium esse censeo num illi fuerint auctores hujus episodii. Fortasse hoc quoque episodium ut alia (conferas ea quae pag. 32. — 34. disputavimus), Ennio debet Silius, atque versum Ennianum (283.)

Certare abnuo. metuo legionibus labem

in simili narrationis conexu fuisse non negabis, si comparaveris cum eo versus Silianos lib. 9, v. 134. sqq.:

Curarum tibi prima tamen sit, nate, referre
Ductori monitus Paullo, producere bellum
Nitatur, Poenoque neget certamina Martis.
. . . . . quaeso, cohibete furentem
Varronem . . . . .
. . . . . . fuge proelia, Varro!

43., Cum Cannensis pugnae apud Silium 9, 311. sqq. descriptione Vahlenius comparari jubet (pag. LXIII.) versus Ennianos:

286. Jamque fere pulvis ad caelum vasta videtur.
287. Hastati spargunt hastas, fit ferreus imber
288. Densantur campis horrentia tela virorum.

quibus versibus addo versum 281.:

. . . Consequitur. summo sonitu quatit ungula campum

et 522: Inde loci lituus sonitus effudit acutos.

Quamquam Vahlenius l. l. ipse fatetur ejusmodi versus in nulla pugna locum habere non posse. Conferas enim et lib. 4, v. 94. sqq., quibus pugna ad Ticinum facta depingitur:

Verum ubi commoto docuerunt pulvere nubes
Hostem ferre gradum; et propius propiusque sonoro
Quadrupedum cornu tellus gemit, ac simul acer
Vincentum lituos hinnitus saevit equorum . . . . .

44., Libro 8, v. 358.—623. copiae quae ex universa Italia ante pugnam Cannensem conscriptae Romanis auxilio venerant recensentur. Inter quos socios Silius Marsos, Pelignos, Vestinos commemoravit et hoc quidem ordine:

(v. 495.): At *Marsica pubes*, . . . —

sequuntur pauci versus quibus describuntur consuetudines moresque eorum, —

(509.): conjungitur acer
Pelignus gelidoque rapit Sulmone *cohortes*, ...

(518.): Haud ullo levior bellis *Vestina juventus*
Agmina densavit.

Qui populi prorsus eodem ordine apud Ennium quoque occurrunt v. 280.:

Marsa manus, Peligna cohors, Vestina virum vis.

Livius autem (22. 36.) aliique scriptores hoc loco nihil praebent nisi nudum numerorum indicium.

45., Fortasse in eadem hac copiarum recensione ille quoque versus Ennianus legebatur (inter inc. sed. frag. v. 478.):

Brundusium pulcro praecinctum praepete portust.

Sequuntur enim apud Silium plurimae aliae gentes et urbes quae cives suos ad pugnam miserunt, inter quas urbes versu 574. Brundisii fit mentio:

Nec non Brundisium quo desinit Itala tellus.

His igitur perlustratis quamquam concedo in aliis locis inter se comparatis, majorem, in aliis minorem inesse probabilitatem, constare tamen censeo Silium non paucas carminis sui partes Ennio debere. Difficillimum autem esse quisque concedet in carmine Siliano singulos enumerare versus quos Ennio fuisse sine dubio dici potest; etsi enim non est cur dubitemus quin Silius Ennium plurimi aestimaverit et cum aliorum antiquiorum poetarum tum Ennii potissimum libros majore cum diligentia et majore cum studio perlegerit quam omnes ipsius aequales, plurimis tamen locis fieri non potuit, ut versus Ennianos integros in suum carmen transferret Silius, quippe cum abhorrerent aetatis illius homines ab Ennii „hirsuta dictione." Accedit quod iniquitate temporum perpaucae tantum amplissimorum annalium librorum reliquiae ad nos pervenerunt, quoniam, si licet in re obscura Vahlenii conjecturam sequi, omnes versus versuumque particulae computatae vix tertiam partem unius ex duodeviginti libris adaequent (conferatur

Vahlenius pag. XX.). Denique fragmentorum quae ad nos pervenerunt plurima in libris grammaticorum vel scholiastarum exstant, a quibus versuum illorum mentio est facta eam ipsam ob causam quia aliqua in eis inest anomalia. (Ad quam rem conferantur ex eis locis de quibus disputavi hi: 3. 4. 10. 13. 14. 15. 16. 17. 19. 20. 23. 24. 27. 28. 30. 31. 32. 35. 37. 41. 42. 43. 44. 45.) Alia postremo omittenda esse censui quia aut de versibus Ennianis aut de Silianis sive codices sive interpretes dissentiebant. Quae cum ita sint non est mirum quod sunt qui adhuc dubitaverint num Silius Ennium secutus sit. Constat autem

primo loco: reliquias Ennianas quae ad bellum Punicum alterum spectant melius inter se conjungi posse, si Silii narrationem sequimur, quam si Livium aliumve scriptorem sequimur;

deinde: cum plurimis aliis locis demonstrari possit quatenus Silius e Livio Vergilio Homero aliis scriptoribus pendeat, eis locis quibus nec Livius nec Vergilius neque alius scriptor ei praeeant, Ennius autem rem eodem modo narret, hunc esse fontem ex quo Silius hauserit;

tertio loco Silium Ennio esse usum aut eis locis quibus Livius aliique scriptores nihil tradunt, aut eis quibus illi rem aliter narrant, aut eis quibus digressiones et episodia quaedam apud Ennium exstabant. Haec de Ennio sufficiant.

CAPUT TERTIUM.

Cicero. Polybius.

Ciceronem non minoris quam Vergilium Ennium Homerum Silius fecit. Conferatur enim laus Ciceronis, quae exstat libro octavo, ubi Silius cum qui populi qui duces Romanorum in pugna Cannensi socii fuerint enumerat, Tullium Arpinatem quendam proelio interfuisse fingit atque unum e majoribus Ciceronis eum esse faciens splendidissimum M. Tullii Ciceronis elogium addit; (v. 406. sqq.):

Indole pro! quanta juvenis quantumque daturus
Ausoniae populis ventura in saecula civem!
Ille, super Gangen, super exauditus et Indos,
Implebit terras voce, et furialia bella
Fulmine compescet linguae, nec deinde relinquet
Par decus eloquio cuiquam sperare nepotum.

Nec desunt antiquorum testimonia, Martialis potissimum, quibus cognoscimus Silium in causis agendis doctisque orationibus multum valuisse et his in rebus exemplar sibi proposuisse Ciceronem, quem studiosissime aemulatus sit. Conferantur enim: Martialis epigr. lib. VII, 63, vs. 5. sqq.:

Sacra cothurnati non attigit ante Maronis,
Implevit magni quam Ciceronis opus.
Hunc miratur adhuc centum gravis hasta virorum,
Hunc loquitur grato plurimus ore cliens.

Deinde ibid. lib. XI, epig. 48.:

Silius haec magni celebrat monimenta Maronis,
Iugera facundi qui Ciceronis habet.
Heredem dominumque sui tumulive larisve
Non alium mallet nec Maro nec Cicero.

Et multum in foro versatum esse Silium apparet cum ex aliis testimoniis tum ex his versibus Martialis, qui exstant epig. lib. VII, ep. 63. vs. 11. et 12.:

Emeritos Musis et Phoebo tradidit annos,
Proque suo celebrat nunc Helicona foro;

et lib. IX, ep. LXXXVI. v. 2.:

Silius, Ausonio non semel ore potens.

Itaque fieri non potuit quin Silius ea quae assidua Ciceronis lectione memoria retinebat in simili argumento nonnunquam in suum usum converteret, atque hausisse eum ex Ciceronis libris praeter alios jam Muretus Variarum lectionum libr. II, cap. XIV. professus est, qui haec dicit: „Silium... Ciceronis apprime studiosum fuisse ejusque libros diligentissime atque assiduissime lectitasse, non modo Martialis ... testimonio cognoscimus, sed multo magis ex eo intelligimus, quod eum multa Ciceronis in poema suum transtulisse, eaque scienter admodum accommodasse ad illa

quae tum tractabat videmus.“ Cujus rei exemplum unum proponit ex Siliani carminis libro septimo depromptum, de quo postea videbimus. Imprimis vero Silium libros accusationis in C. Verrem legisse multis certisque argumentis pervinci facile potest. Liceat igitur quae vestigia Ciceronis in carmine Siliano sint sive ad rem ipsam, sive ad usum verborum pertinentia, paucis verbis nunc disserere.

1., Plurimis locis actionis in Verrem alterius Cicero de Henna urbe dicit et de Cerere Proserpinaque deabus, quae ibi colebantur. Quas deas Cicero non raro divas Hennenses, sive numina Hennensia, sive alteram Cererem Hennensem dicit, ad quod conferantur in Verrem lib. 4, parag. 107. et 108.; Oratoris par. 210., plurimi loci actionis in C. Verrem libri quinti. Quod etsi Silio ipsi per se facile in mentem venire poterat, cum Hennae potissimum deae illae colerentur, tamen arbitror non longe erraturum si quis putet Ciceronem hac in re esse secutum Silium, cum quantum scio, alii scriptores illas deas non ita appellent (apud Vergilium nusquam; apud Lucanum uno loco Ennaea legitur pro Proserpina), Cicero autem, ut supra demonstravi, multis locis. Et ex Silio quidem hi loci conferantur:

1. 93. Hic, crine effuso, atque Hennaeae numina divae ....
2. 214. Hennaea Ceres; 7, 689.: virgo Hennaea;
13. 431. diva Hennaea,

multisque aliis locis.

2., Sagunto diruta cum Hannibal Alpes transcendere constitueret dormienti ei apparuisse speciem Mercurii Silius lib. 3, v. 160.—219. narrat, quae gravibus verbis ad bellum contra Romanos gerendum eum excitaverit, se ab Jove ducem in Italiam ei missam dixerit, respicere vetuerit. In somnis igitur vidisse Hannibalem Italiam, fragore autem quodam perturbatum oculos flexisse et serpentem ingentem omnia vastantem spectasse. Quaerenti Mercurium respondisse: „ut haec serpens omnia veneno humectat, sic tu Hannibal Italiam vastabis.“ Ac primum quidem commemorare liceat non recte de hac re judicasse Ernestium, qui praefationis pag. XVII. haec dixit: Primum videbat (Silius)

tenuem et vulgarem orationem futuram esse, si nihil amplius quam hoc dixisset: Hannibalem decrevisse vel constituisse. Ergo bene memor rationis Homericae, quae jam fere in ceterorum poetarum consuetudinem abierat, Deorum ministerium et opem usurpandi, ubi heroibus res arduae vel cogitandae vel perficiendae essent, Jovem advocat, qui Mercurio misso Hannibalem ad bellum contra Romanos persequendum excitet. Hoc modo ad varios ornatus explicandos via munita erat, atque ita carmen poeticum colorem traxerat, qui, si nulla alia re, tamen auctoritate saltem Homerica, et consuetudine Vergiliana se tueri poterat.“ Sed hoc loco neque auctoritas Homerica neque consuetudo Vergiliana opus sunt ad excusandam Silii fictionem; immo hoc Hannibalis somnium non fictum a Silio, sed traditum esse ab eis scriptoribus qui de Hannibale scripserunt, constat. Ut alias omittam, has duas propono narrationes Livii et Ciceronis, quorum alter lib. 21, cap. 22., alter de divinatione libri I. paragrapho 49. de hac re disseruit:

Livius.	*Cicero.*
ibi fama est in quiete visum ab eo juvenem divina specie, qui se ab Jove diceret ducem in Italiam Hannibali missum: proinde sequeretur neque usquam a se deflecteret oculos. pavidum primo nusquam circumspicientem aut respicientem secutum; deinde cura ingenii humani, cum, quidnam id esset quod respicere vetitus esset, agitaret animo, temperare oculis nequivisse eum; vidisse post sese serpentem mira magnitudine cum ingenti arborum ac virgultorum strage ferri ac post insequi cum fragore caeli nimbum. tum, quae moles ea quidve prodigii esset quaerentem audisse vastitatem Italiae: pergeret porro ire nec	hoc item in Sileni, quem Coelius sequitur, Graeca historia est — is enim diligentissime res Hannibalis persecutus est —: Hannibalem, cum cepisset Saguntum, visum esse in somnis a Jove *in deorum concilium* vocari; quo cum venisset, Jovem imperavisse ut Italiae bellum inferret ducemque ei *unum e concilio* datum, quo illum utentem cum exercitu progredi coepisse; tum ei ducem illum praecepisse ne respiceret, illum autem id diutius facere non potuisse elatumque cupiditate respexisse; tum visam beluam vastam et immanem circumplicatam serpentibus quacumque incederet omnia arbusta, virgulta, tesca per-

Livius.	*Cicero.*
ultra inquireret sineretque fata in occulto esse.	vertere, et eum admiratum quaesisse de *deo,* quodnam illud esset tale monstrum et *deum* respondisse Vastitatem esse Italiae praecepisseque ut pergeret protinus; quid retro atque a tergo fieret ne laboraret.

Videmus igitur hoc somnium non fictum esse a Silio, sed a Sileno fortasse primo narratum, quem Coelius secutus sit. Ex hujus autem scriptoris libris illam narrationem hauserunt et Cicero, qui hunc saepius quam ceteros illorum temporum scriptores laudavit, (ad quod conferantur Cic. Orat. 69. para. 229.; de deorum natura lib. 2, cap. 3. §. 8.; de divinatione lib. I, c. 24. §. 48.; 35, 77; 26, 55; 26, 56; et hic locus de quo disputatur, qui loci omnes, duobus capitis 26. libri primi de divinatione exceptis, ad bellum Punicum alterum spectant,) et Livius, qui Coelii auctoritatem plurimi aestimavit, multum eum exscripsit, non raro alios fontes suos ex Coelio explevit (conferantur 21, 38, 7; 46, 10; 47, 4; 22, 31, 8; 26, 11, 8; 27, 27, 11; 28, 46, 14; 25, 1; 29, 27, 14; 35, 2). Neque tamen putare licet ex Coelio Silium quoque hausisse, ut sileam de Sileno quem certo non legit. Ubi enim Coelius et Silius congruunt, aut Livius aut Cicero eadem ex Coelio tradunt, ad quam rem conferantur praeter hunc locum de quo disputamus et illi:

1., Silius narrat lib. 5, v. 53. sqq. Flaminium consulem variis prodigiis ante pugnam ad Trasumenum commissam perterritum, tamen contra deorum voluntatem et amicorum preces pugnam commisisse. Haec prodigia Coelius quoque tradidit, sed ex eo ea recensuerunt Cicero (de divinat. lib. 1, 35. 77. et 78.,) et Livius fortasse (22. 3.,) qui tamen illo loco Coelium non appellat.

2., Deinde Silius narrat lib. 10, vs. 375. 76. Magonem post pugnam Cannensem Hannibali ut Romam ipsam invaderet persuadere studuisse. Dicit enim illo loco Mago:

Huic ductor laetas Tarpejo vertice mensas
Spondenti cum quinta diem nox orbe tulisset, ...

Coelius quidem eadem narraverat (conferatur Gellius, 10. 24. 6.); sed ex eo Livius lib. 22, cap. 51. eisdem fere verbis; (de nominum varietate, cum Livius Maharbalem, Silius Magonem auctorem fuisse illius consilii dicant, disputavit Cosackius l. l. pag. 28.).

3., Tum Silius narrat lib. 17, v. 134. sqq. de Syphace rege, qui in pugna vivus capitur. Versus hi sunt:

Prima in cornipedis sedit spirantibus ignem
Naribus hasta volans, erexitque ore cruento
Quadrupedem, elatis pulsantem calcibus auras.
Corruit asper equus, confixaque cuspide membra
Huc illuc jactans, rectorem prodidit hosti.

Idemque narrat Coelius, de qua re conferatur Hermannus Peterus: Veterum historicorum reliquiae, vol. prius, pag. 160. Sed Livius quoque tradit lib. 30, cap. 12: Ibi Syphax, dum obequitat hostium turmis, si pudore, si periculo suo fugam sistere posset, equo graviter icto effusus opprimitur capiturque .....

Poteram complures addere locos, sed duos sufficiat commemorasse ex quibus cognoscimus Silium de industria Coelium non esse secutum.

4., Narrat enim Silius lib. 4, v. 482. sqq. de Hannibale, qui post proelium Ticinense Romanos persequitur. Sed quamquam Livius lib. 21, cap. 47. ipse addit: „Coelius auctor est Magonem cum equitatu et Hispanis peditibus flumen extemplo transnasse, ipsum Hannibalem per superiora Padi vada exercitum traduxisse elephantis in ordinem ad sustinendum impetum fluminis oppositis,“ quae descriptio ad varios ornatus explicandos aptissima fuisset, Silius tamen hac in re Livii simplicem et tenuem rerum narrationem ad verbum secutus est.

5., Alterum exemplum ubi Silius prorsus eodem modo Livii auctoritatem sequitur, Coelii negligit, exstat lib. 17, v. 46.—58., quibus versibus Scipionis in Africam trajectus describitur. Etsi enim Livius lib. 29, cap. 27. tradit:

„Coelius, praeterquam quod non mersas fluctibus naves, ceteros omnes caelestes maritimosque terrores, postremo abreptam tempestate ab Africa classem ad insulam Aegimurum, inde aegre correctum cursum exponit, et prope obrutis navibus injussu imperatoris scaphis, haud secus quam naufragos, milites sine armis cum ingenti tumultu in terram evasisse,“ Silius tamen paucis versibus prosperam fuisse navigationem, — ut Livius tradidit loco laudato — narrat. Sed ut redeamus eo unde digressi sumus, constat primo non esse fictam hanc de Hannibalis somnio narrationem ab Silio; deinde non esse haustam ex Coelio, aut Sileno; denique magis congruere cum narratione Ciceroniana quam cum Liviana; Livius enim ut alia omittam tradit juvenem fuisse, Silius et Cicero deum.

3., Libro 3, v. 396. sqq. Silius haec habet:

> Arganthoniacos armat Carteja nepotes.
> Rex proavis fuit humani ditissimus aevi,
> Ter denos decies emensus belliger annos.

Hoc Cicero quoque narrat Cat. Maj. cap. 19, par. 69: fuit enim ... Arganthonius quidam Gadibus, qui octoginta regnaverat annos, centum viginti vixerat ....

4., Cum Flaminius consul ad Trasumenum lacum proficisceretur, varia fiebant prodigia, ut supra jam commemoravimus. Quorum duo Livius narrat lib. 22, cap. 3.: equum ejus repente corruisse consulemque lapsum super caput effudisse, et signiferos signa ex humo convellere non potuisse. Contra Cicero de eodem Flaminio eodem tempore, „cum Arretium versus castra movisset et contra Hannibalem legiones duceret,“ tradit de divin. cap. 35, par. 77.: et ipsum et equum ejus sine causa repente concidisse; deinde pergit: idem cum tripudio auspicaretur, pullarius diem proelii committendi differebat: tum Flaminius ex eo quaesivit, si ne postea quidem pulli pascerentur, quid faciendum censeret. cum ille quiescendum respondisset, Flaminius: praeclara vera auspicia, si esurientibus pullis res geri poterit, saturis nihil geretur; tum addit Cicero prodigium de signiferis, qui signa movere non

potuerint, denique addit: „magnum illud etiam quod addit Coelius, eo tempore ipso, cum hoc calamitosum proelium fieret, tantos terrae motus in Liguribus, Gallia compluribusque insulis totaque in Italia factos esse, ut multa oppida corruerint, multis locis labes factae sint terraeque desiderint fluminaque in contrarias partis fluxerint atque in amnis mare influxerit.“ Denique Silius lib. 5, v. 59. sqq. haec recenset prodigia: alites vesci noluisse; congruit igitur cum Cicerone; nam Livius hoc prodigium ab alio consule alio tempore contemptum esse libro XIX. narravit, de qua re conferas epitomen libri undevicesimi: Claudius Pulcher consul contra auspicia profectus jussit mergi pullos qui cibari nolebant. Deinde Silius addit taurum ad immolandum in ara positum flebile immugisse, quod prodigium Livius alio loco de alia re narrat lib. 21, c. 63.; tum signa convelli non potuisse, quae eadem Livius et Cicero tradunt; denique magnam ortam esse tempestatem, de qua re neuter tradidit; contra id quod uterque narrat equum repente corruisse Silius omisit. Itaque praeter Livium hoc loco etiam Ciceronem fuisse fontem ex quo hauserit credibile est.

Conferantur autem et terrae motus narrationes quas exhibent Silius lib. 5, v. 611. — 626.; Cicero de divin. 1, parag. 78.; Livius lib. 22, cap. 5.

5., Manifeste poeta in narratione de Regulo praeter Horatium, de quo postea videbimus, Ciceronem secutus est. De qua re quae Livius narraverit, nescimus; in epitome lib. XVIII. enim nihil legitur nisi hoc: „Regulus . . arcessito a Carthaginiensibus Xanthippo Lacedaemoniorum duce victus proelio et captus est.“ De insidiis igitur Regulo paratis nihil traditur; narrat autem Cicero de off. lib. 3, 26. sqq.: M. Atilius Regulus cum consul iterum in Africa ex insidiis captus esset duce Xanthippo Lacedaemonio.......

Sic Silius quoque lib. VI, v. 302. sqq.:

(326.) At fraudem nectens, socios ubi concava saxa
Claudebant, vertit subito certamine Grajus
Et dat terga celer ficta formidine ductor.....

Rem quae sequitur Silius sic narrat: Regulus capitur et Carthaginem mittitur. Tum patres Carthaginienses decernunt ut Regulus pacis arbiter Romam mittatur captivos reposciturus, postquam juravit, se esse rediturum. Nave proficiscuntur Carthaginienses Romam, in qua et Regulus est. Quo cum adveniunt magna hominum multitudo eos ad ripam Tiberis accipit; Regulus autem omnes honores repudiat et immobilis manet tot lacrimantibus; nec non Marcia uxor cum duobus filiis frustra maritum implorat. Recusat igitur Regulus domum suam intrare repudiatque amplexus uxoris filiorumque. Postero die in senatum venit, sed aspernatus sellam curulem oratione gravissima permutationem captivorum dissuadet et mortem miseram se ante esse passurum dicit, quam videat paribus pacis conditionibus Romanos bellum finientes. Qua de causa Poeni a Senatu dimissi simul cum Regulo irati Carthaginem redeunt. Marcia conjux flebili gemitu maritum revocare studet, sed frustra. Navis secundis ventis ad oram Carthaginiensem pervehitur, Regulus necatur. Jam conferas ad singulas res hujus narrationis Ciceronis verba quae exstant de officiis lib. 3, cap. 26. et 27., par. 99.—101.

Silius, lib. VI.	Cicero de officiis 3, §. 99.
(403.) Ecce trahens geminum natorum Marcia pignus	§. 99.: ... esse domui suae cum uxore, cum liberis ....
(411.) Me voce quieta Affatus, jubet et vestros et conjugis una	§. 100. ... neque eum caritas
Arcere amplexus: patet impenetrabilis ille Luctibus, et numquam submissus colla dolori.	patriae retinuit nec suorum.
(453.) Tum limina templi Vidimus intrantem.	... in senatum venit,
(455.) Quae consultata senatus Quasve viri voces extremum Curia maerens Audierit, placido nobis ipse edidit ore.	§. 100. mandata exposuit.

(459.) Ad solitam sedem et vestigia nota vocabant.
Abnuit; antiquumque loci adspernatus honorem est.
(476.) Fuit ille, nec unquam
Dum fuit, a duro cessavit munere Martis
Regulus: exsangui spectatis corpore nomen.
At non Carthago, fraudum domus, inscia quantum
E nobis restet, juvenes parat, aspera ferro
Pectora, captivos nostra pensare senecta.
(471.) .. ibo ad Tyrios non segnior, inquit,
Stante fide reditus et salvo foedere poenae.
(490.) haec fatus Tyriae sese jam reddidit irae,
Nec monitus spernente graves fidosque Senatu,
Poenorum dimissa cohors, quae maesta repulsa
Ac minitans capto patrias properabat ad oras.

§. 100. sententiam ne diceret recusavit; quamdiu jure jurando hostium teneretur, non esse se senatorem.

§. 100. reddi captivos negavit esse utile; illos enim adulescentis esse et bonos duces, se jam confectum senectute.

§. 100. neque vero tum ignorabat se ad crudelissimum hostem et ad exquisita supplicia proficisci ..... (de officiis 1. 13. 39.): deinde cum retineretur a propinquis et ab amicis, ad supplicium redire maluit, quam fidem ... fallere.

Pauca addere liceat de morte Reguli. Quae Livius de hac re narraverit nescimus; legitur in epitome libri XVIII.: „supplicio a Carthaginiensibus de eo sumpto periit.“ Cum vero Florus, qui Livium potissimum sequitur lib. 2, cap. 2. Regulum cruci affixum dicat, credibile est Livium quoque sic narasse. Hoc apud Silium quoque legimus lib. 2, v. 343.:

.. vidi, cum robore pendens (Regulus)
Hesperiam cruce sublimis spectaret ab alta;

et ejusdem libri v. 435.:

Juxta triste decus pendet sub imagine poenae Regulus.

Alii autem scriptores, et Cicero potissimum, narrant vigiliis, inedia, resectis palpebris esse necatum. Conferas enim

Ciceronis de finib. 2, cap. 20. par. 65.: M. Regulum . . . . cum vigiliis et fame cruciaretur . . . .; in Calp. Pisonem 19. 43.: nec mihi ille M. Regulus quem Carthaginienses resectis palpebris inligatum in machina vigilando necaverunt . . . .; deinde de fin. 5. 27. 82.: qui in potestate hostium vigiliis et inedia necatus est Regulus?; denique de offic. 3. 27. 100.: itaque tum cum vigilando necabatur . . . . . .

Hoc genus mortis Silius quoque commemorat lib. VI, v. 542.: . . . somnisque hac fraude negatis. Restat tertia narratio, quam Silius loco modo laudato v. 539. sqq. exhibet:

Praefixo paribus ligno mucronibus omnes
Armantur laterum crates, densumque per artem
Texitur erecti stantisque ex ordine ferri
Infelix stimulus . . . .

Hujus quoque narrationis Cicero mentionem fecit illo loco in Pisonem 19. 43.: . . . inligatum in machina . . . . eum necaverunt.

Videmus igitur Silium hac quoque in re praeter Livium Ciceronem quoque esse secutum.

6., De versibus libri septimi 219. sqq. disputavit, ut supra jam commemoravi, Muretus, Var. Lect. lib. II, cap. XIV. Cujus verba integra hic reddere liceat; dicit enim: . . . . Libro igitur septimo, cum Q. Fabius Hannibalem ludificando et cunctando et bellum trahendo frangeret; Romanique milites pugnae avidi et conserendarum cum hostibus manuum ingenti desiderio incensi, quidque mora proficeretur nescientes, imperatorem suum, tamquam ignavum, et, ut Horatius loquitur, inaudacem, summa verborum immoderatione increparent, jamque sublato clamore injussu ipsius rem gerendam esse vociferarentur: gravi oratione furentum illorum impetum repressurus Fabius, ita exorditur, ut dicat, nunquam sibi Romanos in tanto discrimine summam rerum tradituros fuisse, si se talibus clamoribus turbatum iri credidissent:

(lib. 7, 219.) Fervida si nobis corda, abruptumque putassent
Ingenium patres, et si clamoribus, inquit,

Turbari facilem mentem: non ultima rerum
Et deplorati mandassent Martis habenas.

Cicero quoque in ea oratione, qua C. Rabirium perduellionis reum protexit et eripuit, cum quiddam paulo confidentius dixisset, clamorque contionalis secutus esset (cap. 6.): Nihil me, inquit, clamor iste commovet; sed consolatur: cum indicat esse quosdam cives imperitos, sed non multos. Numquam, mihi credite, populus Romanus hic, hic qui silet, consulem me fecisset, si vestro clamore me perturbatum iri arbitraretur.

7., Manifestam esse imitationem Ciceronis versus 20.—26. libri duodecimi vix quisquam negabit. Sunt enim hi versus:

Quis gelidas suetum noctes thorace gravatis
Sub Jove non aequo trahere, et tentoria saepe
Spernere, ubi hiberna ruerent cum grandine nimbi,
At ne nocte quidem clipeive ensesve reposti,
Non pharetrae aut jacula, et pro membris arma fuere;
Tunc grave cassis onus, majoraque pondera visa
Parmarum, ac nullis fusae stridoribus hastae.

Quibuscum versibus compares verba quae exstant Tuscul. quaest. II, 16. 37.: deinde qui labor et quantus agminis: ferre plus dimidiati mensis cibaria, ferre si quid ad usum velint, ferre vallum; nam scutum, gladium, galeam in onere nostri milites non plus numerant, quam humeros, lacertos, manus; arma enim membra militis esse dicunt; qui quidem ita geruntur apte, ut, si usus ferat, abjectis oneribus, expeditis armis ut membris pugnare possint.

8., Q. Fulvius consul cum Capuam expugnasset, Miloni, qui primus muros adscenderat coronam muralem dono dedit. Quod Silius lib. 13, v. 361. sqq. narrat. Hac re poetam adlusisse ad Milonem, quem Cicero defenderat jam Cellarius et alii notaverunt. Conferas enim lib. 13, v. 364.:

Lanuvio, generate, inquit, quem Sospita Juno
Dat nobis, Milo, ...,

et Ciceronis verba, qui pro Milone 17. 45. eum dictatorem Lanuvinum appellat, quia Lanuvii natus erat. A Lanuvinis

autem Junonem Sospitam esse cultam Cicero quoque nos docet de deorum natura 1. 29. 82.: tam hercle quam tibi illam vestram Sospitam . . . . . . ergo alia species Junonis Argivis, alia Lanuvinis . . . . . ., et pro Murena 41, 90.: date etiam Lanuvio, municipio honestissimo, quod in hac tota causa frequens maestumque vidistis; nolite a sacris patriis Junonis Sospitae . . . . . consulem . . . . avellere.

9., Libro 13, v. 471.—487. Silius de variis variorum populorum sepeliendi ritibus multa profert, quorum non pauca ex Ciceronis libris sumpta esse apparet. Compares enim inter se haec:

Silius. lib. 13.	*Cic. Tuscul. disp.* 1. 45. 108.
(474.) Aegyptia tellus Claudit odorato post funus stantia saxo Corpora, et a mensis exsanguem haud separat umbram.	condiunt Aegyptii mortuos et eos servant domi.
(473.) Regia cum lucem posuerunt membra, probatum est Hyrcanis adhibere canes.	*ibid.* in Hyrcania plebs publicos alit canes, optumates domesticos: nobile autem genus canum illud scimus esse, sed pro sua quisque facultate parat a quibus lanietur, eamque optumam illi esse censent sepulturam.
(477.) Exhausto instituit Pontus vacuare cerebro Ora virum et *longum medicata reponit in aevum.*	*ibid.* Persae etiam cera circumlitos condunt, *ut quam maxime permaneant diuturna corpora.*

10., Verba quibus Scipio praedicat Achillem, lib. 13, vers. 796. et 97.:

Felix Aeacida, cui tali contigit ore
Gentibus ostendi! crevit tua carmine virtus,

sunt verba Alexandri Magni, quae eum ad Achillis tumulum in Sigeo dixisse tradit Cicero pro Archia p. 10, 24.: O fortunate adolescens, qui tuae virtutis Homerum praeconem inveneris!

11., Multis locis libri quarti decimi, in quo res a Marcello in Sicilia gestae narrantur, Silius Ciceronis in Verrem libris usus est. Constat enim Ciceronem non solum ipsum quaestorem in Sicilia fuisse, sed etiam quaecunque ad insulae situm, bona et indolem, historiam, incolas pertinerent, summa cum diligentia curaque collegisse, priusquam ad scribendos in Verrem libros accederet. Sed ut jam ad singula veniamus conferantur inter se hi loci: Silius versibus 23.—26. fertilitatem insulae describit:

Multa solo virtus, jam reddere foenus aratris,
Jam montes umbrare olea, dare nomina Baccho,
Cornipedemque citum lituis generasse ferendis,

et quae sequuntur.

De qua re Cicero variis locis saepius dixit. Ut alios omittam locos (orat. de imp. C. Pompeji 12. 34.; actionis in Verrem II. totum librum tertium) hoc profero: in Verr. 4. 48. 106.: vetus est haec opinio quae constat ex antiquissimis Graecorum litteris ac monumentis insulam Siciliam totam esse Cereri consecratam, et 5. 38. sqq.: Siculosne milites, aratorumne liberos, quorum patres tantum labore suo frumenti exarabant, ut populo Romano totique Italiae suppeditare possent . . . . Nec non illud reddere foenus aratris, quod versu 23. legitur, Ciceronianum est; conferas enim Cat. Maj. 15. 51.: terra quae . . . . . nec cuiquam sine usura reddit, . . . sed . . . plerumque majore cum foenore . . . .

12., Sequuntur versus 28. sqq.:

Hic Phoebo digna et Musis venerabere vatum
Ora excellentum, sacris qui carmine silvas
Quique Syracosia resonant Helicona Camena.
Promptae gens linguae.

Non raro Cicero Siculis hanc laudem tribuit. Conferas enim: in Verr. 4. 43. 95.: nunquam tam male est Siculis quin aliquid facete et commode dicant; de Oratore 2. 54. 217.: inveni . . . . salsa multa Graecorum; nam et Siculi in eo genere . . . . excellunt; pro Scauro 11. 24.: . . Siculi . . . atqui homines prudentes natura, callidi usu, doctrina

eruditi; Tuscul. disp. 1. 8. 15.: acuti, nec insulsi hominis, ut Siculi . . .; Brut. 13. 46.: . . . quod illa gens (Siculorum) esset acuta et controversa natura . . . .

Ex poetarum autem numero, qui „carmine silvas resonant", Cicero mentionem facit Stesichori „qui fuit Himeraeus" lib. 2. in Verr. 35., 87.; Epicharmi, acuti nec insulsi hominis, ut Siculi, Tuscul. disp. 1. 8. 15. et ad Attic. 1. 19. 8.: ut crebro mihi vafer ille Siculus insusurret Epicharmus cantilenam illam suam; denique Empedoclis physici Agrigentini, qui egregium poema fecit, de orat. 1. 50. 217. aliisque locis.

13., Deinde hic versus exstat 53.:

Hic Arethusa suum *piscoso* fonte receptat Alpheon . . . .

quocum compares Cic. in Verr. 4. 53. 118.: in hac insula extrema est fons aquae dulcis, cui nomen Arethusa est, incredibili magnitudine, *plenissimus piscium.*

14., Tum v. 125. de Leontinorum agrorum fertilitate dicit:

Prima Leontino vastarunt proelia campos . . .
. . . Et Cereri placitos fecundat sanguine campos.

De eadem re Cicero saepissime dicit in Verrum lib. 3, p. 104., 109. sqq.; 147. sqq. pro Scauro 11. 25.; Philipp. 2. 39. 101.

15., Sequitur fabula de Proserpina a Plutone rapta.

Silius quidem v. 238—47. narrat
Henna deum lucis sacram dedit ardua dextram.
Hic specus ingentem laxans telluris hiatum,
Caecum iter ad manes tenebroso limite pandit
Qua novus ignotas Hymenaeus venit ad oras.
Hac Stygius quondam, stimulante cupidine rector
Ausus adire diem, maestoque Acheronte relicto
Egit in inlicitas currum per inania terras.

Cicero in Verr. 4, 48. 106. haec habet: nam . . . . . et raptam esse Liberam, quam eandem Proserpinam vocant, ex Hennensium nemore; qui locus . . . in media est insula situs. . . . etenim prope est spelunca quaedam, conversa ad aquilonem, infinita altitudine, qua Ditem patrem ferunt repente cum curru exstitisse abreptamque ex eo loco virginem secum asportasse, et subito non longe a Syracusis penetrasse sub terras . . .

Tum rapta praeceps Hennaea virgine flexit
Attonitos coeli visus lucemque paventes
In Styga rursus equos et praedam condidit umbris.

16., Urbium, vel fluminum, vel montium nomina quae apud Silium versibus sequentibus quibus Siciliae copiae recensentur, memorantur, fere omnia apud Ciceronem in actionum Verrinarum libris leguntur. Conferantur enim:

v. 194: Messana; apud Cic. in Verr. 4, par. 3. 5. 17. 84. 150 sqq.
v. 196: Catane; in Verr. 4, 50. 100. saepius.
v. 200: Hybla; in Verr. 3, 102.
v. 203: Eryx mons; in Verr. 2, 22; 2, 115.
v. 204: Centuripae; in Verr. 3, 108; 4, 50; 5, 70.
v. 205: Entella; in Verr. 3, 103; ibid. 200.
v. 207: Agyrium; in Verr. 3, 47; 4, 17.
v. 208: Tyndaris; in Verr. 5, 128.
v. 210: Agrigentum; in Verr. 2, 123; 4, 27; 4, 93;
v. 218: Gela; in Verr. 3, 103; 4, 73.
v. 218: Halaesa; in Verr. 2, 19. 185; 3, 170. 192; saepius.
v. 220: Acesta; in Verr. 3, 83.
v. 229: Chrysas flumen; in Verr. 4, 96.
v. 238: Henna; saepissime in quoque libro Verr.
v. 248: Petraea; in Verr. 3, 90.
v. 249: Enguion; in Verr. 3, 103; 4, 97; 5, 186 . . . .
v. 251: Melite insula cum Siculis socia; in Verr. 5, 184.
v. 251: Calacte; in Verr. 3, 101.
v. 252: Cephaloedis; in Verr. 2, 130; 3, 103; 3. 172 . . .
v. 256: Tauromenium; in Verr. 2, 160; 3, 13; 5, 49;
v. 261: Panormos; in Verr. 2, 63; 5, 16; 5, 21.
v. 266: Menae; in Verr. 3, 55; 3, 102.
v. 267: Amastra; in Verr. 3, 88; 5, 133; 3, 172.
v. 267: Tisse; in Verr. 3, 86.
v. 268: Netum; in Verr. 4, 59.
v. 268: Mutyce; in Verr. 3, 101; 3, 120.
v. 269: Drepane; in Verr. 4, 37.
v. 269: Helorus; in Verr. 4, 59; 5, 90.
v. 270: Triocala; in Verr. 5, 10; 5, 11.
v. 271: Jetas; in Verr. 3, 103.
v. 273: Megaris; in Verr. 5, 63.

Livius paucas tantum urbes nominavit.

17., Copiis igitur quas hae urbes aut Romanis aut Poenis aut Syracusanis miserunt recensitis, Silius narrat Syracusis ipsis multos conscriptos esse milites, qui Poenis auxilio mitterentur. Populum enim Syracusanum contra Romanos esse instigatum ab oratoribus qui dixissent: nunquam victas esse Syracusas atque illam magnam Atheniensium classem ante oculos ipsorum mersam esse. Quae in his versibus leguntur:

(284.) ter centum ante ora triremes
Unum naufragium, mersasque impune profundo
Clade pharetrigeri subnixas regis Athenas.

Quibus verbis expressisse Silium Ciceronis locum in Ver. 5, 98. jam Rupertius notavit: „quo Atheniensium classis sola post hominum memoriam CCC navibus vi ac multitudine invasit; quae in eo ipso portu, loci ipsius natura (— cf. versum 283: ingenio portus —) victa atque superata est. hic primum opes illius civitatis comminutae depressaeque sunt; in hoc portu Atheniensium nobilitatis imperii gloriae naufragium factum existimatur.

18., Tandem Syracusae a Marcello expugnantur. Cujus urbis direptionem ita definite et per partes more poetico effert Silius, ut recensum faciat memorabilium operum et monimentorum Syracusarum. Qua in re hausisse eum ex Cicerone loci docent qui sequuntur:

Silius.	*Cicero.*
641. Totum, qua vehitur Titan, non ulla per orbem Tum sese Isthmiacis aequassent oppida tectis.	in Verr. 4, 52. 117. Urbem Syracusas maximam esse Graecarum, pulcherrimam omnium saepe audistis; est ita ut dicitur.
v. 643.: Tot delubra deum, . . .	Cic. in Verr. 4, 53. 118.: in ea (i. e. parte urbis quae appellatur Insula) sunt aedes sacrae complures, sed duae quae ceteris longe antecellant . . . .; (in altera parte urbis) cui nomen Achradina est . . . est templum egregium Jovis Olympii . . . . tertia est urbs, quae quod in

	ea parte Fortunae fanum antiquum fuit Tycha nominata est, in qua . . . complures aedes sacrae (in quarta urbis parte cui nomen Neapolis est) . . . duo templa sunt egregia.
v. 643. . . . . . totque intra moenia portus,	ib. §. 217.: et portus habet prope in aedificatione aspectuque urbis inclusos . . . . ., et §. 118.: quae duobus portubus cincta in utriusque portus ostium aditumque projecta est . . . et 5, 37. 96.: non enim portu illud oppidum clauditur, sed urbe portus ipse cingitur et continetur, ut non adluantur mari moenia extrema, sed ipse influat in urbis sinum portus.
v. 644.: Adde fora, et celsis subgesta theatra columnis,	4, 53. 119 . . . in qua (in altera parte urbis) forum maximum, pulcherrimae porticus, ornatissimum prytanium . . . quam ad summam theatrum maximum . . . . .
v. 645. Certantesque mari moles . . .	4, 53. 118.: Arethusa fons . . qui fluctu totus operiretur, nisi munitione ac mole lapidum disjunctus esset a mari.
v. 645. adde ordine longo Innumeras spatioque domos . . .	4, 53. 119. ceterae urbis partes, quae una via lata perpetua multisque transversis divisae privatis aedificiis continentur.
v. 647.: . . . Quid, inclusos porrecto limite longis Porticibus, sacros juvenum certamine lucos?	4, 53. 119.: pulcherrimae porticus . . . . . et . . . gymnasium amplissimum est et complures aedes sacrae.
v. 653.: hic sancta vetustas Artificum manibus; non usquam clarior illo Gloria picturae seclo . . .	4, 55. 122.: pugna erat equestris Agathocli regis in tabulis picta; his autem tabulis interiores templi parietes vestiebantur; nihil erat ea pictura nobilius, nihil Syracusis, quod magis visendum putaretur: has tabu-

	las M. Marcellus . . . non attigit . . . . et 55. 123.: viginti et septem praeterea tabulas pulcherrime pictas . . . . quae non solum pictorum artificio delectatabant, sed . . . .
v. 659.: Quaeque Attalicis variata per artem Aulaeis scribuntur acu . .	4, 12. 27.: quid? illa Attalica tota Sicilia nominata ab eodem Hejo [peripetasmata] emere oblitus es?

19., Marcellus autem urbe capta militibus imperat, ut domibus templisque parcant. Conferas Sil. v. 665 sqq.:

His tectis opibusque potitus
Ausonius ductor, postquam sublimis ab alto
Aggere despexit trepidam clangoribus urbem,
Inque suo positum nutu, stent moenia regum, ...
. . . . Jussit stare domos, indulgens templa vetustis
Incolere atque habitare Deis. Sic parcere victis
Pro praeda fuit . . . .

Praeter Livium 25. 24. Silius etiam hoc loco Ciceronem ante oculos videtur habuisse: conferas enim in Verr. 4, 54. 120.: Marcellus cum tam praeclaram urbem vi copiisque cepisset, non putavit ad laudem populi Romani hoc pertinere, hanc pulchritudinem, ex qua praesertim periculi nihil ostenderetur, delere et exstinguere; itaque aedificiis omnibus, publicis privatis, sacris profanis, sic pepercit, quasi ad ea defendenda cum exercitu, non oppugnanda venisset . . . . .; deinde: dum vero nullum violavit, nullum attigit; . . . ibid. 122.: has tabulas . . . Marcellus non attigit; 4, 55. 122.: . . aedes Minervae est in Insula, quam Marcellus non attigit, quam plenam atque ornatam reliquit.

20., Versus libri XIII, 680.—683.:

Aemulus ipse
Ingenii Superum servando condidit urbem.
Ergo exstat seclis, stabitque insigne tropaeum
Et dabit antiquos ductorum noscere mores,

ad illud spectare videntur quod Cicero in Verr. 2, 21. 50. narrat: deinde ut in curia Syracusis quem locum illi

βουλευτηρίου nomine appellant, honestissimo loco et apud illos clarissimo, ubi illius ipsius M. Marcelli, qui eum quem eripere belli ac victoriae lege posset, conservavit ac reddidit, statua ex aere facta est, ... ut, dum istius hominis memoria maneret ....

Ceteros hujus libri locos quos addere poteram, ut narrationem de Archimedis nece (apud Silium vs. 676.—78., apud Ciceronem in Verr. 4, 58. 131. et de finibus 5, 19. 50.), omisi, quia Silius in eis narrandis certo praeter Ciceronem Livium quoque secutus est. Unum tamen hujus libri locum addere liceat, qui exstat versibus 211. sqq.:

21., Ductor Grosphus erat, cujus caelata gerebat
Taurum parma trucem poenae monimenta vetustae.
Ille, ubi torreret *subjectis* corpora *flammis,*
Mutabat gemitus mugitibus; actaque veras
Credere erat stabulis armenta effundere voces.

Quibuscum versibus compares Ciceronis locum in Verr. 4, 33. 73.: ... in quibus etiam ille nobilis taurus, quem crudelissimus omnium tyrannorum Phalaris habuisse dicitur, quo vivos supplicii causa demittere homines et *subjicere flammam* solebat.

22., Libro quinto decimo vs. 18.—128. Silius fabulam de Hercule a Prodico narratam ad Scipionem transfert. Quam fabulam narrant Xenophon Mem. 2, 1. 21 sqq. et Cicero de off. 1, 32. 118., ex quo, cum Xenophontis vestigia in carmine Siliano nulla exstent, quin Silius narrationem hauserit, non dubito.

23., Deinde cum versibus lib. 15, 74.—78.:

Tribuit namque ipsa minores
Hos terris Natura Deo: sed foedere certo
Degeneres tenebris animas damnavit Avernis.
At, quis aetherei servatur seminis ortus,
Coeli porta patet ....

jam Drakenborchius comparavit locum Ciceronis, qui exstat Tuscul. disp. 1, 30. 72.: ita enim censebat itaque disseruit (Socrates), duas esse vias duplicisque cursus animorum e corpore excedentium: nam qui se humanis vitiis contami-

navissent et se totos libidinibus dedissent, quibus caecati vel domesticis vitiis atque flagitiis se inquinavissent vel re publica violanda fraudes inexpiabilis concepissent, iis devium quoddam iter esse, seclusum a concilio deorum; qui autem se integros castosque servavissent, quibusque fuisset minima cum corporibus contagio seseque ab iis semper sevocavissent essentque in corporibus humanis vitam imitati deorum, eis ad illos, a quibus essent profecti, reditum facilem patere.

24.. Versus illos hi sequuntur:

(15. 78.) Referam quid cuncta domantem
Amphitryoniaden? quid, cui post Seras et Indos
Captivo *Liber* cum signa referret ab Euro,
Caucaseae currum duxere per oppida tigres?
Quid suspiratos magno in discrimine nautis
Ledaeos referam *fratres*, vestrumque *Quirinum?*

Quos eosdem deos eodem fere ordine Cicero Tuscul. disp. 1, 12. 20. nominat: ex hoc et nostrorum opinione

Romulus in caelo cum dis agit aevum

ut famae adsentiens dixit Ennius, et apud Graecos indeque perlapsus ad nos et usque ad Oceanum *Hercules* tantus et tam praesens habetur deus; hinc *Liber* Semela natus eademque famae celebritate *Tyndaridae fratres*, qui non modo adjutores in proeliis victoriae populi Romani sed etiam nuntii fuisse perhibentur.

25., Deinde sequuntur hi versus:

(84.) Nonne vides, hominum ut celsos ad sidera vultus
Sustulerit Deus, ac sublimia finxerit ora;
Cum pecudes, volucrumque genus formasque ferarum
Segnem atque obscoenam passim stravisset in alvum?

Quos compares cum loco Ciceroniano de legib. 1, 9. 26.: nam cum ceteros animantis abjecisset ad pastum, solum hominem erexit et ad caeli quasi cognationis domiciliique pristini conspectum excitavit . . . ., et de deorum nat. 2, 56. 140.: quae primum eos humo excitatos celsos et erectos constituit, ut deorum cognitionem caelum intuentes capere possent . . . .

26., Silius dicit de Laelio lib. 15, v. 478.:

ducebat corda Senatus

oratione sua. Sic Cicero Brut. 50, 108. de oratore bono dicit: delectatur multitudo audiens et ducitur oratione.

27., Nec non in usu aliorum verborum Silius Ciceroni similis est. Versu enim 368., lib. 7.: quis tunc cecidit custodia sorti .... *cadere* verbum positum est pro obtingere, evenire. Sic saepissime apud Ciceronem legitur: ad Atticum ep. lib. 3, 1.: nihil mihi optatius *cadere* posse ....; ibid. 3, 24. 1.: verebar quorsum id *casurum* esset; ... ibid. 3, 24. 2.: .. haec res quem ad modum *ceciderit* .... velim ad me scribas ..; ad Quintum fratrem epist. 1, 3. 1.: sed certe a te mihi omnia semper honesta et jucunda *ceciderunt;* Epistol. 8, 12. 3.: quod melius *caderet* nihil vidi; ib. 5, 19. 1.: cum aliter res *cecidisset* ac putasses; in C. Verrem act. prim. par. 5.: verum hoc adhuc percommode *cadit*, quod ..... Nec non sorti ablativus Ciceroni alienus non est. Aliud hujus rei exemplum *vigere* verbum est, quod apud Silium lib. 7, v. 21.:

..... postquam nova nomina lecto
Dictatore vigent, . . .

significat: quae celebrantur et praecipue excellunt. Hanc enim verbi significationem Ciceronis potissimum esse apparet cum ex aliis tum ex his locis: de orat. 3, 28. 110.: nunc Philonem in Academia maxime vigere audio ..; Tuscul. 1, 16. 38.: multa saecula postea sic viguit Pythagoreorum nomen, ut ....; Philipp. XI, 15. 39.: diu legiones Caesaris viguerunt; nunc vigent Pansae, vigent Hirtii, vigent Caesaris filii, vigent Planci; de orat. 1, 11. 45.: vigebatque auditor Panaetii illius hic Mnesarchus ... et nescio quo loco: in pace jacere quam in bello vigere maluit. —

28., Libro septimo, vs. 691. sqq. Silius mentionem facit M. Porcii Catonis Majoris, quem dicit in pugna a Minucio temere et infeliciter conserta fortiter dimicasse; ibique originem Catonis his verbis celebrat:

At Cato, tum prima sparsus lanugine malas,
Quod peperere decus Circaeo Tuscula dorso
Moenia, Laertae quondam regnata nepoti . . . . . .

Tusculi natum fuisse Catonem Cicero multis locis nos docet. Conferantur enim Brut. 85, 294.: his tu comparas hominem Tusculanum (i. e. Catonem de quo antea dixerat); pro Plancio 8, 20.: num quando vides Tusculanum aliquem de M. Catone illo in omni virtute principe . . . municipe suo . . . . gloriari?; de legib. 2, 2. 5.: nisi forte sapienti illi Catoni fuit patria non Roma sed Tusculum . . . . . ut ille Cato, cum esset Tusculi natus . . . . cum ortu Tusculanus esset . . . . .; de republ. 1. 1. 1.: M. vero Catoni . . . . certe licuit Tusculi se in otio delectare . . .; pro Archia poet. 9, 22.: in caelum hujus (Catonis Uticensis) proavus Cato tollitur (sc. ab Ennio). Fortasse jam apud Ennium ut apud Silium Cato pugnans inductus erat.

29., Libro decimo hi leguntur versus (432.—35.):

Tum, quatiens strictum cum voce ante ora paventum
Mucronem, Tarpeja, *pater,* qui templa secundam
Incolis a coelo sedem, et *Saturnia* nondum
Iliacis mutata malis, *tuque* aspera pectus
Aegide Gorgoneos *virgo* subcincta furores . . . .

Eodem modo et eodem ordine Juppiter, Juno, Minerva junctim frequenter apud Ciceronem memorantur. Conferas enim Orat. pro domo 57. 144.: quocirca te Capitoline, — teque Juno Regina et te, custos urbis Minerva — precor; in Verr. lib. 5, 72. 184.: Nunc te Juppiter Optime Maxime, — teque Juno Regina — teque Minerva — precor . . .; in Verr. lib. 5, 14. 36.: . . . ludos antiquissimos cum dignitate maxima et religione Jovi Junoni Minervaeque esse faciundos . . . .; pro Scauro 23. 47.: Capitolium illud . . . . aditus Jovis Optimi Maximi, Junonis Reginae, Minervae. . . .

30., Ut Silius dicit lib. 12, v. 295 sqq. postquam Marcelli victoriam ad Nolam reportatam commemoravit:

At consueta graves per longum audire suorum
Eventus, Roma, et nunquam recreata secundis
Adlato tandem faustae certamine pugnae,
Erigitur. . . . . . .

sic Cicero similibus usus verbis scribit Brut. 3, 12.: atque ut post Cannensem illam calamitatem primum Marcelli ad Nolam proelio populus se Romanus erexit posteaque prosperae res deinceps multae consecutae sunt ....

31., Libri primi versu 170. sqq. narratur quomodo Poeni necem Hasdrubalis imperatoris ulturi servum illum qui caedem perpetraverat tormentis cruciaverint. Sed:

„non ignes candensque chalybs .... cessavere" ...

Ad quod conferas in Verr. lib. 5, §. 163.: quid? cum ignes candentesque laminae ceterique cruciatus admovebantur, ... (Nolo tamen silentio praetermittere in editione Kayseriana pro candentes nunc legi ardentes).

32., Dictum est Ciceroni proprium de oratore aliquo: fingere mentes; conferas enim de legibus lib. 3, §. 40.: „actor moderatur et fingit mentem ac voluntates"; hoc apud Silium quoque legitur lib. I, v. 441.:

grata quo non spectatior alter
Voce movere fora, atque orando fingere mentes.

33., Ut versu 617, lib. 10.

Adversis etenim *ferri* non esse virorum,

ferri verbum positum est pro moveri aliqua re sive se dare alicui rei, sic saepius apud Ciceronem. Legitur enim: pro Quinctio 11, 38.: qui usque eo fervet *ferturque* avaritia; pro Cluentio 5, 12.: sic inflammata ferri libidine ..; ibid. 70, 199.: quam caecam crudelitate et scelere ferri videtur ....; Tuscul. disp. 3. 2. 4.: qui pecuniae cupiditate, qui voluptatum libidine feruntur; in Verr. 5, 46. 121.: praeceps amentia ferebare, qui .... —.

Poteram his locis complures addere; cum vero jam ex eis quos attuli satis elucere credam ex Ciceronis libris non raro hausisse Silium, illos locos memorasse sufficiat.

Sequitur ut quaeramus num Polybius notus fuerit Silio. Quam quaestionem difficiliorem esse apparet, cum Polybius historiam belli Punici secundi in primis quinque libris qui quidem integri nobis servati sunt non nisi usque ad pugnam Cannensem pertexuerit. Quae cum ita sint si

de rebus post pugnam Cannensem factis disseretur eos oportebit examinare scriptores quos Polybii historiam in compendium redegisse constat. Omittendos autem esse censui omnes eos locos quibus Livius Polybiusque aeque narrant atque Silius, nec non eos locos quibus Silius et Polybius inter se congruentes narrant, sed easdem res quomodo Livius narraverit nescimus, cum ei ipsi libri deperditi sint. Quibus in rebus utrum Silius Livii auctoritatem secutus an aspernatus sit cum ad liquidum perducere vix possimus, ubicumque prius esse factum feci. Itaque de eis tantum rebus paucis disputabo, in quibus narrandis Silius contra Livii aliorumque auctoritatem Polybium aut secutus est, aut videtur secutus esse. Sic, quamquam plurimos locos quibus uterque consentit, sejungere coacti sumus, restant tamen pauci ex quibus Polybium Silio in scribendis Punicorum libris ante oculos fuisse apparet. Conferantur enim inter se haec:

1., Hamilcar, pater Hannibalis quomodo mortuus sit Livius non narrat; non enim de ea re tradit nisi his tribus locis: 1., lib. 21, 1.: mors Hamilcaris peropportuna et pueritia Hannibalis distulerunt bellum; 2., lib. 21, 2.: ne se quoque ut patrem Hamilcarem — cunctantem casus aliquis opprimeret; 3., lib. 24, 41.: ad Castrum Album — locus est insignis caede magni Hamilcaris — Romani castra habuere. Neque mentio est facta hujus rei in epitomis libri undevicesimi et vicesimi. Silius autem narrat lib. I, v. 140 sqq.:

> Sic clausum linquens arcano pectore bellum,
> Atque hominum finem Gades Calpenque secutus,
> Dum fert Herculeis Garamantica signa columnis,
> Occubuit saevo Tyrius certamine ductor.

De qua re copiosius tradit Polybius lib. 2, cap. 1, par. 5. — 9., ex quibus paragraphis hoc exscripsisse sufficiat: Ἀμίλκας . . . . . ἀναλαβὼν τὰ στρατόπεδα καὶ τὸν υἱὸν Ἀννίβαν . . . . καὶ διαβὰς κατὰ τὰς Ἡρακλείους στήλας ἀνεκτᾶτο τὰ κατὰ τὴν Ἰβηρίαν πράγματα τοῖς Καρχηδονίοις . . . . πρὸς γὰρ τοὺς ἀνδρωδεστάτους καὶ μεγίστην δύναμιν ἔχοντας παρατατ-

τόμενος καὶ χρώμενος τολμηρῶς καὶ παραβόλως ἑαυτῷ κατὰ τὸν τοῦ κινδύνου καιρὸν ἐρρωμένως τὸν βίον μετήλλαξεν.

2., Ejusdem libri vs. 146. sqq. Silius Hasdrubalem et acriorem et pejorem describit, quam alii scriptores. Sic enim tradit:

Baeticolasque viros furiis agitabat iniquis.
Tristia corda ducis, simul immedicabilis ira,
Et fructus regni feritas erat: asper amore
Sanguinis, et metui demens credebat honorem;
Nec nota docilis poena satiare furores.

Livius contraria dicit lib. 21, cap. 2.: is plura consilio quam vi gerens hospitiis magis regulorum conciliandisque per amicitiam principum novis gentibus quam bello aut armis rem Carthaginiensem auxit. Polybius autem lib. 3, cap. 8, §. 1. haec habet: Φάβιος δέ φησιν ὁ Ῥωμαϊκὸς συγγραφεὺς ἅμα τῷ κατὰ Ζακανθαίους ἀδικήματι καὶ τὴν Ἀσδρούβου πλεονεξίαν καὶ φιλαρχίαν αἰτίαν γενέσθαι τοῦ κατ' Ἀννίβαν πολέμου. Quibus ex verbis, cum apud Livium nisi illo loco nusquam de Hasdrubale agatur, Silium, ut Romanum Poenis infestum ea deprompsisse censeamus licet quae in pejorem partem accipi poterant. Nam Q. Fabium Pictorem, qui graecos condidit annales ipsum lectum esse a Silio non est quod credamus. Nusquam enim apud Silium hujus fontis primarii vestigia apparent neque demonstrari potest Silium in scribendo carmine hunc esse secutum. Nolo tamen praetermittere Polybium quoque de Hasdrubale justius judicasse lib. 2, cap. 36, §. 2.: οὐχ οὕτω διὰ τῶν πολεμίων ἔργων ὡς διὰ τῆς πρὸς τοὺς δυνάστας ὁμιλίας.

3., In narratione de morte Hasdrubalis Silius certo praeter Livium etiam Polybium secutus est. Nam *Livius* narrat lib. 21, cap. 2.: barbarus enim quidam *palam* ob iram interfecti ab eo domini obtruncat . . . .; Silius autem lib. 1, v. 165. dicit:

Quem postquam diro suspensum robore vidit
Deformem leti famulus, *clam* corripit ensem
Dilectum domino, pernixque *irrumpit in aulam,*
Atque immite ferit geminato vulnere pectus.

Denique Polybius haec tradit lib. 2, cap. 36, §. 1.: ἐτελεύτησε δολοφονηθεὶς ἐν τοῖς ἑαυτοῦ καταλύμασι νυκτὸς ὑπὸ Κελτοῦ τινος τὸ γένος ἰδίων ἕνεκα ἀδικημάτων ....

4., Lib. 3, v. 234. sqq. Silius describit Iberes eorumque arma:

Rudis his tunc parma, ...
.... et rubrae velamine vestis
Ars erat in pugna fusum occuluisse cruorem.

Hanc descriptionem Polybio debet, qui lib. 3, cap. 114. §. 4. dicit: τῶν δὲ Ἰβήρων λινοῖς περιπορφύροις χιτωνίσκοις κεκοσμημένων κατὰ τὰ πάτρια, ξενίζουσαν ἅμα καὶ καταπληκτικὴν συνέβαινε γίγνεσθαι τὴν πρόσοψιν.

5., In pugna ad Trasumenum facta Flaminius consul caeditur. Rem ipsam Livius lib. 22, cap. 6. sic narrat: insignemque armis (i. e. Flaminium) et hostes summa vi petebant et tuebantur cives, donec Insuber eques — Ducario nomen erat — facie quoque noscitans consulem „en“ inquit „hic est“, popularibus suis „qui legiones nostras cecidit, agrosque et urbem est depopulatus! jam ego hanc victimam Manibus peremptorum foede civium dabo.“ subditisque calcaribus equo per confertissimam hostium turbam impetum facit; obtruncatoque prius armigero, qui se infesto venienti obviam objecerat, consulem lancea transfixit.“ Silius autem, postquam narravit lib. 5, vs. 644. sqq. Ducarium Bojorum ducem, qui Flaminium noverit, suos adhortatum esse ut eum virum qui suos populares quondam vicerit, caederent, haec addit (vs. 655.):

Pariter tunc undique fusis
Obruitur telis, nimboque ruente per auras
Contectus, nulli dextra jactare reliquit
Flaminium cecidisse sua.

In priore igitur narrationis parte Silius Livium, in altera autem Polybium secutus est, qui tradit lib. 3, cap. 84. §. 6.: ἐν ᾧ καιρῷ καὶ τὸν Φλαμίνιον αὐτὸν δυσχρηστούμενον καὶ περικακοῦντα τοῖς ὅλοις προσπεσόντες τινὲς τῶν Κελτῶν ἀπέκτειναν. De causis, quibus Silius commotus a Livio dis-

senserit et Polybium sequi maluerit, Cosackius libri jam saepius laudati pag. 29. s. f. disseruit.

6., Lib. 7, v. 116. sqq. agitur de Fabio consule qui in colle castra posuit, sed, quamquam Hannibal certa victoriae spe inductus nullam dimicandi moram fecit Romanosque maledictis provocavit, quietus tamen restat. Livius eandem rem tradidit lib. 22, capite 12. Silii autem versus:

(v. 123.) Cassarum sedet irarum spectator, et alti
Celsus colle jugi domat exsultantia corda,
Infractasque minas dilato Marte fatigat
Sollers cunctandi Fabius ....

magis spectant ad Polybii verba quae exstant lib. 3, cap. 89, §. 2.: ὁ γὰρ Φάβιος διεγνωκὼς μήτε παραβάλλεσθαι μήτε διακινδυνεύειν, στοχάζεσθαι δὲ πρῶτον καὶ μάλιστα τῆς ἀσφαλείας τῶν ὑποταττομένων, ἔμενε βεβαίως ἐπὶ τῆς διακλήψεως ταύτης.

7., Urbem illam Etruriae plurimi scriptores Faesulas appellant. Sic Cicero in Catil. 3, 14.; Livius 22, 3.; Sallustius Catil. 24. et 27.; Appianus et Ptolemaeus τὰς Φαισούλας dicunt, alii Faesula sive τὰ Φαίσολα plurali numero scripserunt. Solus Silius inter scriptores latinos lib. 8, 477. dixit: Adfuit — Faesula, atque apud Polybium legimus: 2, 25. 16. τὴν Φαισόλαν, 3, 82. 1. κατὰ τὴν Φαισόλαν et saepius.

8., Libro octavo Silius ubi pugnam Cannensem describere parat hunc habet versum:

(v. 622.) Ut ventum ad Cannas, urbis vestigia priscae, ...

Livius lib. 22, cap. 44. et 49. Cannas vicum fuisse dicit neque quidquam tradit urbem quondam eo loco fuisse. Nec non alii scriptores de ea re silent. Polybius autem dicit lib. 3, cap. 107, 2.: κρίνων δέ συμφέρειν τὸ κατὰ πάντα τρόπον ἀναγκάσαι μάχεσθαι τοὺς πολεμίους, καταλαμβάνει τὴν τῆς Κάννης προςαγορευομένης πόλεως ἄκραν — ... §. 4.: τὴν μὲν οὖν πόλιν ἔτι πρότερον συνέβαινε κατεσκάφθαι. Aliis quoque locis Polybius Cannas τὴν πόλιν dicit.

9., Ante hanc pugnam Cannensem Hannibal ad milites

orationem habet de qua jam supra pag. 28. paucis verbis disserui. Silius enim, ut ibi dixi, ante pugnam ipsam Hannibalem solum, Livius neutrum ducem, Polybius utrumque dicentem facit. Neque negari potest nonnulla hujus adhortationis momenta fere ad verbum ex illa oratione esse deprompta qua apud Livium lib. 21, cap. 43. et 44. Hannibal ante pugnam ad Ticinum commissam milites adhortatus est; alia ex Ennio fortasse sunt hausta. Sed nonnulla quoque vestigia in Silianis verbis restant quae ad Polybium spectant, praesertim cum apud Livium similia non legantur. Conferantur enim inter se haec:

Sil. 9, v. 184.:
Non verborum, inquit, stimulanlantum, Poenus, egetis, . . .

v. 213.:
Ad muros statis Romae: licet avia longe
Urbs agat, et nostro procul a certamine distet.
Hic hodie ruet. atque ultra te ad proelia miles
Nulla voco. ex acie tende in Capitolia cursum.

Polyb. 3, 111. 5.: τὸ δὲ παρακαλεῖν ὑμᾶς νῦν διὰ πλειόνων εὐθαρσεῖς καὶ προθύμους εἶναι πρὸς τὸν κίνδυνον οὐδαμῶς μοι δοκεῖ καθήκειν.

§. 8.: ὁ δὲ νῦν ἀγὼν ἐνέστηκε περὶ τῶν πόλεων καὶ τῶν ἐν αὐταῖς ἀγαθῶν. οὗ κρατήσαντες κύριοι μὲν ἔσεσθε παραχρῆμα πάσης Ἰταλίας, ἀπαλλαγέντες δὲ τῶν νῦν πόνων, γενόμενοι συμπάσης ἐγκρατεῖς τῆς Ρωμαίων εὐδαιμονίας, ἡγεμόνες ἅμα καὶ δεσπόται πάντων γενήσεσθε διὰ ταύτης τῆς μάχης.

10., Denique unius loci mentionem faciam, de quo cum interpretes tum Cosackius l. l. pag. 37. et 38. fusius loquuntur; brevis itaque ero. Res agitur de Scipionis triumpho in quo Syphacem esse ductum Silius tradit. Cujus verba haec sunt: lib. 17, 629.:

> Ante Syphax, feretro residens captiva premebat
> Lumina et auratae servabant colla catenae.

Quos versus, cum Livius tradat lib. 30, cap. 45.: „morte subtractus spectaculo magis hominum quam triumphantis gloriae Syphax est, Tiburi haud ita multo ante mortuus, quo ab Alba traductus fuerat“, — interpretum nonnulli

ita interpretantur ut dicant non Syphacem vivum, sed mortui Syphacis imaginem pictam in triumpho latam esse. Reges enim captivos pedibus ire solitos esse ante triumphantis currum, apud Silium autem Syphacem feretro residentem fingi. Hanc tamen sententiam falsam esse omniaque ad hominem vivum pertinere apparet cum ex eo quod homo mortuus non residet feretro, nec lumina premit, nec catenis indutus est, tum ex altero loco Siliani carminis, qui exstat lib. 16, v. 272. sqq.:

Hinc fractum bello regem solioque revulsum
Tempus erit cum ducet agens ad templa Tonantis
Qui tunc orabat socialia foedera supplex.

Res quomodo se habeat Livius ipse nos docet, qui loco laudato addit: hunc regem in triumpho ductum Polybius, haudquaquam spernendus auctor, tradit; et revera in excerptis Polybianis lib. XVI, cap. 23, par. 6. legimus: καὶ γὰρ ὁ Σύφαξ ὁ τῶν Μασαισυλίων βασιλεὺς ἤχϑη τότε διὰ τῆς πόλεως ἐν τῷ ϑριάμβῳ μετὰ τῶν αἰχμαλώτων. Polybium igitur Silius sequi maluit quam Livium, sive quod hac re gloriam Scipionis triumphi augeri putavit, sive quod Polybio majorem tribuit fidem historicam quam Livio, sive quod hac narratione carmen suum magis exornare se posse censuit. Cur Silius Syphacem feretro residentem finxerit nescio; fortasse, ut Rupertius putat, quia Syphax et animo et corpore aegrotus pedibus ire non potuit, itaque in ferculo sedit.

Nunc vero nonnulli restant loci, quibus Silius a Livii aliorumque auctoritate dissentiens alium scriptorem sequi maluit. Qui scriptor quis fuerit quamquam certis argumentis ita demonstrari vix potest ut nulla restet dubitatio, tamen non longe a veritate nos aberraturos esse censeo, si eos libros Polybii fontes fuisse dicimus qui perierunt. Congruit enim non raro Silius cum Appiano, quem scriptorem cum ex multis aliis fontibus tum ex Polybio hausisse viri docti fere omnes consentiunt. Jam vero cum fieri non posset ut Silio Appianus praeiret, neque cum sit credibile

Silium fontem fuisse Appiano, censere licet Polybium his quoque locis Silio ante oculos fuisse.

Et Appianum quidem ex Polybio hausisse alii aliis argumentis confirmaverunt. Mihi autem nunc primum paucas res a Silio quoque in carmine suo tractatas afferre liceat, quae eaedem apud Appianum Polybiumque exstant. Ea enim quae supra de morte Hamilcaris exposuimus (pag. 71.), ubi Silius et Polybius congruunt, apud Appianum quoque leguntur de bello Hannibalico cap. 2. Deinde quae Polybius tradit lib. 3, cap. 33, §. 1. 2. de legatis Romanis Carthaginem missis, quorum unus in sinu se gestare et bellum et pacem dixit, Appianus narrat eisdem fere verbis lib. 6. de rebus Hispan. cap. 13. (apud Silium lib. 2, v. 380.—89.). Tum narratio illa de bobus quibus rami arentes et sarmenta urentia in cornibus innectuntur ut Fabii exercitui terrorem injiciant, a Polybio lib. 3, cap. 93. et 94. et ab Appiano lib. 7, cap. 14. et 15. verbis simillimis traditur (ap. Silium 7, 310 sqq.). Poteram facillime haec exempla duplicare; sed ad illos locos redeamus, quibus Silius, cum eadem tradat atque Appianus, Polybium secutus videtur esse.

11., In pugna ad Zamam facta Laelius Bruttios, Hannibalem ex Italia decedentem secutos acerrime increpat et in fugam vertit; aciem autem jam inclinatam Hannibal ipse restituit. Hanc rem Silius sic tradit (lib. 17, v. 444.):

> Quos ubi nudantes conspexit Hamilcare cretus
> Terga fuga, State, ac nostram ne prodite gentem,
> Vociferans subit, et convertit proelia dextra.

Livius de hac re nihil tradit nisi hoc lib. 30, cap. 33.: modico deinde intervallo relicto subsidiarum aciem Italicorum militum — Bruttii plerique erant, vi ac necessitate plures quam sua voluntate decedentem ex Italia secuti — .... instruxit (sc. Hannibal.) Hannibalem autem ipsum pugnam instaurasse Livius ne verbo quidem commemorat. In fragmentis autem Polybianis libri quinti decimi cap. 12, p. 7. haec narrantur: .... Λαίλιος ... ἐπέκειτο τοῖς φεύγουσιν

ἐκθύμως . . . . κατὰ δὲ τὸν καιρὸν τοῦτον αἱ φάλαγγες ἀμφότεραι βάδην ἀλλήλαις καὶ σοβαρῶς ἐπῆσαν, πλὴν τῶν ἐκ τῆς Ἰταλίας μετ' Ἀννίβου παραγεγονότων. οὗτοι δ'ἔμενον ἐπέχοντες τὸν ἐξ ἀρχῆς τόπον. Denique Appianus de rebus Punicis cap. 44. narrat: τὸ μὲν οὖν δεξιὸν τὸ Ῥωμαίων, οὗ Λαίλιος ἐπεστάτει, τρέπεται, τοὺς ἐναντίους Νομάδας, Μασσανάσσου βαλόντος αὐτῶν τὸν δυνάστην Μασσάθην. ὀξέως δ' αὐτοὺς ὁ Ἀννίβας ἐπιδραμὼν συνέτασσε τὴν μάχην.

12., Eodem capite Appianus sic pergit: Ἀννίβας δ' ἐπεὶ τὸ λαιὸν συνέστησεν, ἐς τοὺς Λίβυας καὶ Κελτοὺς μεθίππευεν, ἐπάγων ἅμα τὴν δευτέραν τάξιν Καρχηδονίων τε καὶ Λιβύων . . . .; cap. 45.: μακρᾶς δὲ καὶ ἀκρίτου τῆς μάχης οὔσης, ... Livius autem hujus rei ne verbo quidem mentionem facit, sed ubique apud eum Poeni pedem referunt; conferas enim lib. 30, cap. 34.: igitur primo impetu extemplo movere loco hostium aciem Romani. Contra Silius illam, quae apud Appianum exstat narratio, secutus, Hannibalem hostes in fugam vertisse tradit lib. 17, v. 472.:

Tum Libys invadit mixtae certamina turbae
Convertitque ruens per longum hostilia terga.

13., Quae pugna ut citius decernatur Scipio Hannibalem ipsum quaerit et ad certamen singulare provocat. Ne de hac quidem re Livius quidquam tradit; apud Appianum autem prorsus eadem narratio legitur. Ac mea quidem sententia mirum esset quod uterque in eandem rem fingendam incidisset, nisi utrique idem fuisset fons. Silius enim sic narrat lib. 17, v. 512 sqq.:

Hannibal unus
Dum restet, non . . . .
. . . . . Profectum Latio: contra, si concidat unus,
Nequidquam fore Agenoreis cuncta arma virosque.
Illum igitur lustrans . . . . . celsus clamore feroci
Provocat increpitans hostem.

Huic tamen certamini singulari et vitae periculo apud Silium Hannibal a Junone subducitur, apud Appianum autem certamen illud ita interrumpitur, ut Romani, ubi viderunt

Scipionem non solum ducis sed etiam militis obire munia, eo vehementius in pugnam irruentes hostem terga vertere cogant. Narrat enim Appianus haec lib. 8, cap. 45.: οἱ στρατηγοὶ . . . . . ὥρμων ἐπ' ἀλλήλους, ὡς ἐν σφίσι τῆς κρίσεως ταχυτέρας ἐσομένης. καὶ ἠκόντισαν ὁμοῦ, Σκιπίων μὲν Ἀννίβου τὴν ἀσπίδα, ὁ δ' Ἀννίβας ἔτυχε τοῦ ἵππου. καὶ ὁ ἵππος ὑπὸ τῆς πληγῆς ἐξέφερεν ὀπίσω τὸν Σκιπίωνα, μέχρι περιβὰς ἕτερον ἵππον, αὖθις ἐς τὸν Ἀννίβαν ἠκόντισεν. Ἀλλ' ἀπέτυχεν αὐτοῦ καὶ τότε, τὸν δὲ ἱππέα τὸν ἐγγὺς ἔβαλεν. ἧκε δ' ἐν τούτῳ καὶ Μασσανάσσης πυθόμενος καὶ οἱ Ῥωμαῖοι τὸν στρατηγὸν ὁρῶντες στρατιωτικῶς σφῶν ὑπερμαχόμενον καρτερώτερον τοῖς πολεμίοις ἐνέπεσον, καὶ ἐτρέψαντο, καὶ φεύγοντας ἐδίωκον.

17. Poeni igitur fugiunt et per patentem circa campum sparsi, tenente omnia equitatu passim intereunt. His fere verbis Livius usus est lib. 30, cap. 35. ubi narrat: in tempore Laelius ac Massinissa, pulsos per aliquantum spatii secuti equites, revertentes in aversam hostium aciem incurrere. is demum equitum impetus fudit hostem.“ Nec non in excerptis Polybianis res simile tradita est: lib. XV, cap. 14, 7.: ἕως οἱ περὶ τὸν Μασσανάσσην καὶ Λαίλιον ἀπὸ τοῦ διώγματος τῶν ἱππέων ἀνακάμπτοντες καὶ δαιμονίως εἰς δέοντα καιρὸν συνῆψαν. ὧν προςπεσόντων τοῖς περὶ τὸν Ἀννίβαν κατόπιν οἱ μὲν πλεῖστοι κατεκόπησαν ἐν τῇ τάξει, τῶν δὲ πρὸς φυγὴν ὁρμησάντων ὀλίγοι παντελῶς διέφυγον. Silius autem et Appianus hanc Poenorum fugam absentiae Hannibalis tribuunt; Silius enim lib. XVII, v. 581 sqq. dicit:

> Interea Cadmea manus, decerta pavensque
> Non ullum Hannibalem, nusquam certamina cernit
> Saevi nota ducis, pars ferro occumbere credunt,
> Pars damnasse aciem, et Superis cessisse sinistris.

Appianus autem lib. 8, cap. 46. haec habet: τότε γὰρ οἱ μαχόμενοι, τῆς μὲν αἰτίας οὐ συνιέντες, τὴν δ' ἀποχώρησιν αὐτοῦ φυγὴν ὑπολαβόντες εἶναι, τὸν ἀγῶνα μεθῆκαν ἑκόντες. καὶ ἔφυγον ἀκόσμως, οὐχ ᾗπερ ἑώρων Ἀννίβαν, ἀλλ' ὅπῃ τύχοιεν ἕκαστοι. Haec quoque res videtur docuisse hunc utriusque scriptoris consensum non esse fortuitum.

14., Denique in describendo Scipionis triumpho, in qua re Silium Polybii narrationem esse secutum jam supra vidimus (pag. 75. 76.) cum Appiano congruit. Silius enim dicit lib. 17, v. 645.:

> Ipse adstans curru, atque auro decoratus et ostro,
> Martia praebebat spectanda Quiritibus ora.

Appianus autem, qui hunc triumphum plurimis verbis describit, libri 8, cap. 66. dicit: καὶ ὁ στρατηγὸς ἐπὶ τοῖς θυμιάμασιν, ἐφ' ἅρματος καταγεγραμμένου ποικίλως, ἔστεπται μὲν ἀπὸ χρυσοῦ καὶ λίθων πολυτίμων, ἔσταλται δ' ἐς τὸν πάτριον τρόπον πορφύραν, ἀστέρων χρυσῶν ἐνυφασμένων. καὶ σκῆπτρον ἐξ ἐλέφαντος φέρει, καὶ δάφνην .... Praeterea uterque narrat captarum urbium simulacra tabulasque exprimentes res gestas in triumpho esse latas et triumphum fuisse qualem Romani nunquam antea vidissent.

Perpaucae igitur restant res in quibus narrandis Silius ne unius quidem scriptoris historici auctoritate nitatur; atque hanc ob causam, praesertim cum et illis paucis locis, quibus Silius ab omnibus historicis discrepare videtur, ne ei quidem inter se consentiant, omnem fidem historicam Silio esse derogandam nego. Unum exemplum liceat attulisse:

Acies quam instruit Hannibal ante pugnam Cannensem in tres partes divisa est; de qua re Livius lib. 22, cap. 46., Polybius lib. 3, cap. 114., par. 7., Appianus, de bello Hannibalico cap. 19., Silius lib. 9, v. 217. sqq. disseruerunt. Jam videas quomodo hi inter se discrepent:

cornu sinistro praeest:	cornu dextro praeest:
apud Livium: Hasdrubal;	apud Livium: Maharbal;
apud Polybium: Hasdrubal;	apud Polybium: Hanno;
apud Appianum: Hanno;	apud Appianum: Mago;
apud Silium: Nealces;	apud Silium: Mago;

mediam aciem tenuisse Hannibalem ipsum omnes consentiunt praeterquam quod Livius dicit: Hannibal et Mago. Cujus rei exempla non pauca addere poteram et eos potis-

simum locos, quibus de numero militum singulis proeliis caesorum agitur; eis enim in rebus ne unus quidem scriptor cum altero congruit. Sed haec hactenus.

CAPUT QUARTUM.

De reliquis scriptoribus quos Silius novit et legit.

Postquam vidimus capite primo: Livium Vergilium Homerum, capite altero Ennium, capite tertio Ciceronem Polybiumque eos fuisse scriptores quos Silius magis minusve secutus sit, restat ut de reliquis aut poetis aut rerum gestarum scriptoribus disseramus, qui ante Silium vixerunt atque aut eandem, aut similem, aut aliam rem tractandam sibi sumpserant. Hac tamen in re cavendum est, ne eam ineamus viam quam multi ingressi sunt etsi ad summos errores eam ducere constat. Non raro enim erraverunt homines docti, inter quos Silii potissimum editores Drakenborchium, Ernestium, Rupertium quamquam optime de Silio meritos atque omnibus in Silianis quaestionibus miro modo versatos nominare non dubito, qui comparandi studio commoti aut ea componerent quae conferri inter se omnino non possunt, aut idonea ad comparationem proferentes ex eis concluderent omnes illos scriptores apud quos similia legantur fontes esse unde poeta hausisset et quos imitandos sibi proposuisset. Primum enim statuendum est illo tempore quo Silius vixit formulas quasdam locutionesque ita in usum et consuetudinem venisse ut de similitudine inter Silium et poetam aliquem illius temporis intercedente ex eis rebus aliquid velle statuere periculosum esset. Deinde ad idem erroris genus illos locos referendos censeo, quibus, ut Silii fontes, omnes ei rerum gestarum scriptores afferuntur quos Livius aut Cicero in libris suis crebro laudant, aut eos secuti, aut corrigentes. Cujus rei jam duo exempla attuli, quorum prius pag. 51. — 53., ubi Coelium Antipatrum, alterum pag. 72., ubi Qu. Fabium Pictorem Silii fontes fuisse negavi. Quibus tertium nunc addere

liceat: Carthaginis Novae praefectus, qui arcem fortiter contra Romanos defendit, apud Livium lib. 26, cap. 44. et apud Polybium lib. 10, cap. 12, par. 2, et lib. 10, cap. 15, p. 7. saepiusque Mago appellatur. Contra Silius dicit lib. 15, v. 232.:

Aris ductor erat.

Quem praefectum cur Silius non Magonem appellaverit, ut Livius et Polybius, dici non potest; illud tamen nomen Aris Silium ex suo arbitrio hausisse nego. Legitur enim apud Livium 26, cap. 49.: Arinen praefuisse Punico praesidio deditumque Romanis Antias Valerius, Magonem alii scriptores tradunt. Hunc Arinen eundem esse atque Silii Arin persuasum habeo, praesertim cum in codicibus et Livianis et Silianis varie hoc nomen legatur. (Conferas Rupertium ad illum locum: Aris, Arris, Armen, Arines et q. sqq.) Neque tamen hac re demonstrari potest Valerium Antiatem unum esse ex Silii fontibus. Hoc enim cum per se non est credibile, tum testimoniis confirmari non potest; immo potius censendum est, cum Livius ipse commemoret quae Antias tradiderit, ex Livio sumpsisse Silium Aris nomen, nec credamus oportet ex Valerio Antiate hausisse Silium. Tum ad comparationem non raro afferuntur permulti Graecorum poetae lyrici et tragici, quos Silius, quamvis non dubitem, quin de eis audierit, certo tamen in scribendo carmine suo ante oculos non habuit. Quid? quod apud Rupertium recensentur omnes fere Iudaeorum scriptores sacri omnesque Hebraei prophetae qui comparantur cum Silio! Deinde si ad alterum erroris genus transimus, nonne perversum est, postquam scimus Vergilio sexcenties usum esse Silium, ex eis locis quibus et Silius et Vergilius et Ovidius inter se consentiunt, concludere, Ovidium eis ipsis locis praeivisse Silio? Num licet dicere, si Silius et Livius et Caesar in describenda aliqua re congruunt Caesarem eum esse auctorem quem secutus sit poeta; num licet, si versui Siliano similes sunt versus Homeri et Hesiodi, Hesiodum pro primario habere fonte? Cujus perversitatis multa exstant exempla; praeter illa unum afferam. Silius

lib. 9, v. 287. sqq. carmini intexuit ϑεῶν μάχην, „partim“, ut Rupertius dicit, „Homeri, partim Maronis, partim Petronii exemplum secutus.“ Sed haud scio an sit ridiculum dicere hanc imitationem adumbratam esse ad exemplum Petronii, cum ne unum quidem exstet vestigium quo appareat hausisse Silium ex Petronio, plurima autem quae docent Vergilium et Homerum fontes fuisse? Itaque ne in eundem errorem incidamus, plerumque eos locos praetermisi, quibus praeter alios scriptores etiam unus ex illis sex de quibus supra disputavimus Silio videtur praeivisse. Neque tamen negari potest, etiamsi omnes illos locos sejungimus huc illuc vestigia quaedam restare poetarum, qui, quamvis in aliis rebus tractandis versarentur, tamen a Silio pervolutati sunt. Nec mirum id est cum sciamus Silium, postquam in Vitellii amicitia sapienter se et comiter gessit (conferatur Plinii ep. lib. 3, ep. 7, par. 3.), et Asiae provinciae pro consule per unum annum praefuit, e republica et ab Urbe secessisse seque in Campania tenuisse litteris deditum et librorum colligendorum studiosum, ex qua tranquillitate non discessit ne adventu quidem Imperatoris Trajani novi principis commotus, usque ad mortem quam ipse sibi conscivit, cum jam annum septuagesimum quintum excessisset. Itaque cum satis ei esset otii et occasionis poetarum illius aetatis certo omnium perlegendorum, nonnunquam fieri potuit ut, opportuna occasione data in suum usum converteret ea quae apud alium in prorsus alio fortasse conexu rerum legerat. Nec desunt ejusmodi exempla quorum nonnulla nunc afferam.

Dubitandum enim non est quin Silius non paucas voces et locutiones poeticas *Horatio* debeat; cujus rei haec sufficiant exempla:

Ac primum quidem in oratione Reguli, de qua jam supra pag. 55. — 56. diximus, praeter Ciceronem, etiam Horatii odam quintam libri tertii Silio ante oculos fuisse persuasum mihi est. Conferantur enim inter se haec:

Silius, 6. 438:

Vestigia nostri
Casta tori . . . . . prolem gratante Senatu
Et patria, sum enixa tibi; et 412. . . . jubet . . et conjugis una
Arcere amplexus:
428. frontique coma squalente sedebat
Terribilis decor . . .
494. Prosequitur vulgus Patres, ac planctibus ingens
Personat et luctu campus. Revocare libebat
Interdum, et justo raptum retinere dolore.

Horatius.

Od. 3. 5. 41.
Fertur pudicae conjugis osculum

Parvosque natos ut capitis minor

Ab se removisse . . . .
et virilem
Torvus humi posuisse voltum.

5. 47: Interque maerentes amicos

Egregius properaret exsul.
Atqui sciebat quae sibi barbarus
Tortor pararet; non aliter tamen
Dimovit obstantes propinquos
Et populum reditus morantem.

Deinde haec conferantur inter se:

Silius.

3. 290: Nulla domus; plaustris habitant: migrare per arva
Mos, atque errantes circumvectare penates.

3. 360. Nec qui Massageten monstrans feritate parentem
Cornipedis fusa satiaris, Concane, vena.

5. 384. Sic ubi torrentem crepitanti grandine nimbum
Inlidit terris, molitus Juppiter altas
Fulmine nunc Alpes, nunc mixta Ceraunia coelo,
Intremuere simul tellus . . . .

5. 624: Ac super haec reflui pugnarunt montibus amnes,
Et retro fluctus torsit mare . .

Horatius.

Od. 3. 24. 9. sqq.: Campestres melius Scythae,
Quorum plaustra vagas rite trahunt domos,
Vivunt et rigidi Getae
Immetata quibus jugera liberas
Fruges et Cererem ferunt . . . .

Od. 3. 4. 34: Visam . . . .
Et laetum equino sanguine Concanum.

Od. 1. 2. 1:
Jam satis terris nivis atque dirae
Grandinis misit Pater ac rubente
Dextera sacras jaculatus arces
Terruit urbem . . .

Od. 1. 29. 10: Quis neget arduis
Pronos relabi posse rivos
Montibus et Tiberim reverti.

Silius.	*Horatius.*
et 5. 253. Trasumenus in altos Ascendet citius colles . . .	
1. 110. horreat ortus Jam pubes Tyrrhena tuos; partusque recusent Te surgente, puer, Latiae producere matres.	Od. 1. 1. 24. bellaque matribus Detestata; et epod. 16. 8. Parentibusque abominatus Hannibal.
2. 486. Fides . . . Justitiae consors . .	Od. 1. 24. 6. et Justitiae soror Incorrupta Fides . .
4. 350. qui fonte quieto Dissimulat cursum, ac nullo mutabilis imbri. Perstringit tacitas . . . . ripas	Od. 1. 31. 8: quae Liris quieta Mordet aqua taciturnus amnis.
2. 551. insomnis lacrimosae Janitor aulae.	Od. 3. 11. 15: Cessit immanis tibi blandienti Janitor aulae.
2. 630. densum qua turbine nigro Exundat fumum piceus caligine vertex;	Od. 4. 11. 11. Sordidum flammae trepidant rotantes Vertice fumum.
3. 339. jaculove . . . Mauro.	Od. 1. 22. 2. Non eget Mauris jaculis . . .
2. 498. fecundum in fraudes hominum genus:	Od. 3. 6. 17. Fecunda culpae saecula.
7. 466. postrema nitenti Affulsit vultu ridens Venus.	Od. 4. 5. 6: voltus ubi tuus Affulsit populo.
9. 555. (de Marte agitur): quamquam lituique tubaeque Vulneraque, et sanguis, et clamor, et arma juvarent.	Od. 1. 2. 37: quem (Martem) juvat clamor galeaeque leves, Acer et Mauri peditis cruentum Voltus in hostem.
10. 40. Maecenas, cui Maeonia venerabile terra, Et sceptris olim celebratum nomen Etruscis.	Od. 1. 1. 1. Maecenas atavis edite regibus, . . .
14. 175: Si tibi per medios ignes . . . dederit viam, et 15, 41: per medias volitare acies mediosque per ignes . .	Od. 4. 14. 24: Mittere equum medios per ignes.

Denique locum addere liceat, quamvis jam supra pag. 67. cum Ciceronis loco comparatum. Exstat apud Silium lib. 15, v. 78. sqq.:

(15. 78.) Referam quid cuncta domantem
Amphitryoniadem? quid cui post Seras et Indos
Captivo Liber cum signa referret ab Euro,
Caucaseae currum duxere per oppida tigres?
Quid suspiratos magno in discrimine nautis
Ledaeos referam fratres vestrumque Quirinum?

Od. 3. 3. 9. Hac arte *Pollux* et vagus *Hercules*
Enisus arces attigit igneas,
Quos inter Augustus recumbens
Purpureo bibit ore nectar.

Hac te merentem, Bacche pater, tuae
Vexere tigres indocili jugum

Collo trahentes; hac Quirinus
Martis equis Acheronta fugit.

Altero loco de *Ovidio* pauca sunt addenda. Cum vero Silius, quamvis tribus locis peropportuna fuisset occasio Ovidii mentionem facere, ubi Sulmonem oppidum patriam ejus commemorat (conferantur loci lib, 8, 510.: gelidoque rapit Sulmone cohortes; lib. 9, 76.: fundaverat urbem .... attrito nomine Sulmo; lib. 9, 111.: Non sim equidem Sulmone satus tua . . .), nusquam poetam laudaverit, credendum est pauca esse quae ei debeat. Sed comparentur inter se haec:

Sil. 2. 3: Fabius, Tirynthia proles

Ter centum memorabat avos, quos . . . Abstulit una dies.

Ovid. Fast. 2. 235: Una dies Fabios ad bellum miserat omnes,
Ad bellum missos perdidit una dies.

Quam narratiunculam de Fabiis ex Ovidio esse haustam censeo non solum propterea quod similes inveniuntur locutiones, sed eam potissimum ob causam, quia Fabium, gentis auctorem, ab Hercule natum esse Livius aliique scriptores praetermittunt, contra Ovidius variis locis dicit; conferantur enim haec:

Sil. 6. 633: cum regia virgo,
Hospite victa sacro, Fabium de crimine laeto
Procreat, et magni commiscet seminis ortus
Arcas in Herculeos mater ventura nepotes.

Ovid. Fast. lib. 2, v. 237:
Ut tamen Herculeae superessent semina gentis,

Credibile est ipsos consuluisse deos.

Silius.

Ter centum domus haec Fabios armavit . . .

8. 217. Tirynthius heros (i. e. Fabius Cunctator.)
7. 35: Tirynthia gens est.
7. 43. privataque castra Penates Herculei implevere: . . .
3. 314. Fama docet, caesae rapuit cum Gorgonis ora Perseus, in Libyam dirum fluxisse cruorem;
Inde Medusaeis terram exundasse chelydris.

Ovidius.

ex Ponto lib. 3. eleg. 3. quae ad Fabium Maximum scripta est, v. 99: nobile namque
Pectus, et Herculeae simplicitatis habes.

Metam. 4. 616: Cumque super Libycas victor penderet arenas,
Gorgonei capitis guttae cecidere cruentae:
Quas humus exceptas varios animavit in angues;

Versus libri septimi 173. et qui sequuntur de Baccho, Falernum senem, a quo comiter erat receptus, vini usum docente, similes esse illis locis Ovidii de Baucide et Philemone Metam. 8, v. 626 sqq., et de Hyrieo sene, Fast. 5, 505. qui deos quoque recepisse dicuntur, apparebit, si contuleris haec:

Silius.

7. 173. Nec pigitum parvosque lares humilisque subire
Limina caelicolam tecti. cepere volentem
Fumosi postes.
177. sed enim de more parentum
Grato cursabat studio, instabatque senectae,
179. Donec opes festas puris nunc poma canistris
Composuit, nunc irriguus citus extulit hortis
Rorantes humore dapes. tum lacte favisque
Distinxit dulces epulas

Ovidius.

Fast. 5. 505.
Tecta senis subeunt nigro deformia fumo.

Met. 8. 677: super omnia vultus
Accessere boni: nec iners pauperque voluntas.
Met. 8. 674. hic nux, hic mixta est rugosis carica palmis,
Prunaque, et in patulis redolentia mala canistris,
Et de purpureis collectae vitibus uvae.
Candidus in medio favus est.

Silius.	*Ovidius.*
188. Fagina pampineo spumarunt pocula succo . . . 182. nulloque cruore Polluta castus mensa cerealia dona Attulit . . .	Fast. 5. 522 . . . pocula fagus erant; Met. 8. 669. fabricataque fago Pocula, qua cava sunt, . . . Met. 15. 96. At vetus illa aetas, cui fecimus Aurea nomen . . . . nec polluit ora cruore.

Libro octavo episodium satis longum carmini intexitur de Anna nympha, quae Hannibali Junonis jussa affert. Cujus nymphae fata et fabulam non minus copiose persecutus est Ovidius Fast. lib. 3, vs. 523.—696., quem locum Silius ante oculos habuit. Conferas enim haec, quae sequuntur:

Silius, lib. 8.	*Ovidius,* Fast. lib. 3.
104. Tum sic Aeneas dulci repetitus amore: Tellurem hanc juro, vota inter nostra frequenter Auditam vobis, juro caput, Anna	611. Sensit, et adloquitur trepidam Cythereius heros: Flet tamen admonitu motus, Elissa, tui. Anna, per hanc juro, quam quondam audire solebas Tellurem fato prosperiore dari.
176. Surge, age, jam tacitas suspecta Lavinia fraudes Molitur, dirumque nefas sub corde volutat.	633. Omnia promittit, falsumque Lavinia volnus Mente premit tacita, dissimulatque fremens.
187. Tunc, ut erat tenui corpus velamine tecta, Prosiluit stratis, humilique egressa fenestra Per patulos currit plantis pernicibus agros; Donec arenoso (sic fama) Numicius illam Suscepit gremio, vitreisque abscondidit antris.	643. Exsilit, et velox humili super arva fenestra Se jacit. audacem fecerat ipse timor. Quaque metu rapitur, tunica velata recincta Currit, ut auditis territa damna lupis. Corniger hanc cupidis rapuisse Numicius undis Creditur, et stagnis occuluisse suis.
193. Quum nullam Aeneadae thalamis Sidonia nacti,	649. Sidonis interea magno clamore per agros

Silius.

Et Rutulum magno errantes clamore per agrum,
Vicini ad ripas fluvii manifesta sequuntur
Signa pedum, dumque inter se mirantur, ab alto
Amnis aquas cursumque rapit. tum sedibus imis
Inter caeruleas visa est residere sorores
Sidonis, et placido Teucros adfarier ore.
Ex illo primis anni celebrata diebus
Per totam Ausoniam venerando numine culta est.

9. 72: Solymus: nam Dardana origo
Et Phrygio genus a proavo, qui, sceptra secutus
Aeneae, claram muris fundaverat urbem
Ex sese dictam Solymon: celebrata colonis
Mox Italis paullatim attrito nomine Sulmo.

Ovidius.

Quaeritur; apparent signa notaeque pedum:
Ventum erat ad ripas. inerant vestigia ripis . . .
Sustinuit tacitas conscius amnis aquas . . .
Ipsa loqui visa est: „Placidi sum nympha Numici:
Amne perenne latens Anna Perenna vocor."
Protinus erratis laeti vescuntur in agris,
Et celebrant largo remque diemque mero.

Fast. 4. 79:
Hujus erat Solymus Phrygia comes unus ab Ida,
A quo Sulmonis moenia nomen habent.

Tertio loco de *Lucano* disputandum est, cui Silius plura quam Ovidio videtur debere. Conferantur enim inter se haec:

Silius.

1. 194. Aestifero Libye torquetur subdita Cancro,
Aut ingens Asiae latus, aut pars tertia terris.

Nilus dicitur amnis Lageus, a Ptolemaeo rege, Lagi filio:
1. 196. amnis Lageus ad ortus...
17. 591. pars flumina Lagi . . . petebant.
sive ratis Lagea lib. 10. v. 321.

Lucanus.

9. 411. Tertia pars rerum Libye, si credere famae
Cuncta velis: at si ventos coelumque sequaris
Pars erit Europae.
1. 684. Qua mare Lagei mutatur gurgite Nili

Silius.	*Lucanus.*
3. 300. Marmaridae, medicum vulgus, strepuere catervis; Ad quorum cantus serpens oblita veneni .... mites jacuere.	9. 891: Gens unica terras Incolit a saevo serpentum innoxia morsu Marmaridae Psylli:
1. 569: tempore Martis Utendum est rapto.	10. 507. Caesar feliciter semper usus .. tempore rapto.
2. 59. Hammone hic genitus, Phorcynidos antra Medusae Cinyphiumque Macen, et iniquo e sole calentes Battiadas late imperio sceptrisque regebat;	9. 624: ubi fervida tellus Accipit Oceanum, demisso sole calentem, Squalebant late Phorcynidos arva Medusae Non nemorum protecta coma...
3. 565. Quo Trojae extremos cineres, sacramque ruinam, Assaracique larem, et Vestae secreta feramus ...	Eodem ordine Palladium cum Penatibus et igne sacro conjunctum Lucanus commemorat lib. 9. v. 990: di cinerum, Phrygias colitis quicunque ruinas, Aeneaeque mei, quos nunc Lavinia sedes Servat et Albae lares et quorum lucet in aris Ignis adhuc Phrygius .....

Sequitur descriptio templi et nemoris et cultus Jovis Hammonis, quae exstat apud Silium lib. 3, v. 666 sqq. De qua eadem re Lucanus lib. 9, v. 511 sqq. scripsit. Apud Lucanum enim Cato, apud Silium Bostar deum consulit; de luco opaco et nemoroso, dė fonte qui silvam irrigat, de molestiis itineris, quae omnibus ad templum adeuntibus antea tolerandae sunt, uterque congruit. Nolo tamen ne longus sim hujus narrationis versus singulos addere. Alia exempla sunt haec:

Silius.	*Lucanus.*
4. 27. Deserure larem: portant cervicibus aegras Attoniti matres, ducentesque ultima fila	1. 504. Nullam jam languidu aevo Evaluit revocare parens, conjuxve maritum

Silius.	*Lucanus.*
Grandaevos rapuere senes: tum crine soluto Ante agitur conjux: dextra laevaque trahuntur Parvi, non aequo comitantes ordine, nati Sic vulgus traduntque metus	Fletibus, aut patrii, dubiae dum vota Saluti Conciperent, tenuere lares: nec limine quisquam Haesit et extremo tunc forsitan urbis amatae Plenus abit visu: ruit irrevocabile vulgus.
4. 569: Incertumque fuit letum cui cederet hastae, qui versus dictus est de homine duobus hastis transfixo.	3. 589. Et stetit incertus flueret quo vulnere sanguis, de eadem re dictus.
6. 140. Turbidus arentes lento pede sulcat arenas Bagrada	4. 587: qua se Bagrada lentus agit, siccae sulcator arenae ...
7. 364: quam multa videt, fervoribus atris Quum Calabros urunt ad pinguia pabula saltus, Vertice Gargani residens incendia pastor.	9. 181 .... ignes surgunt ... Sic, ubi depastis submittere gramina campis Et renovare parans hibernas Apulus herbas, Igne fovet terras, simul et Garganus, et arva Vulturis et calidi lucent buceta Matini.
9. 18. Ni fors .... properanti in fata negasset.	8. 658. O saevi, properantem in fata tenetis!

Postquam narravit poeta uterque multos milites in pugna quadam caesos esse, addit

Silius, lib. 9. v. 250: ac pallenti laetus in unda Laxabat sedem venturis portitor umbris.	*Lucanus*, lib. 3. v. 16: Praeparat innumeras puppes Acherontis adusti Portitor ...
9. 245: et se cognoscere jactat, Qua dextra veniant stridentis sibila teli Promittitque viris, nulli se defore testem.	7. 287. Cujus non militis ensem Agnoscam? coelumque tremens cum lancea transit, Dicere non fallar, quo sit vibrata lacerto.

Nec pauca e Lucani lib. 9, v. 450 sqq. hausta videntur

esse ab Silio lib. v. 496 sqq., ubi de vento vehementissimo agit, qui in pugna Cannensi Poenorum tela adjuvat, Romanis autem multo pulvere in ipsa ora volvendo prospectum adimit armaque eripit. Conferas enim hos versus:

Silius, lib. 9. v. 505: Sternuntur tellure et miles et arma tubaeque	*Lucanus*, lib. 9. 464: nullusque potest consistere miles,
Atque omnis retro flatu obcursante refertur	Instabilis raptis etiam, quas calcat, arenis.
Lancea, et in tergum Rutulis cadit irritus ictus.	Concuteret terras, orbemque a sede moveret, ...
Atque idem flatus Poenorum tela secundant,	Nusquam luctando stabilis manet . . . . .
Et velut amento contorta hastilia turbo	Galeas et scuta virorum
Adjuvat . . .	Pilaque contorsit violento spiritus actu . . .

Niphates Armeniae est mons, de qua re conferantur Horatius (od. lib. 2, 9. 20.) Strabo (11. p, 522.), Vergilius (Georg. 3. 30.), Mela (1. 15. 2.), multi alii. Contra apud Silium et Lucanum Niphates est flumen; legitur enim apud

Silium 13. 765: Qui Gangen bibit, et Pellaeo ponte Niphaten	*et apud Lucanum* 3. 245: Armeniusque tenens volventem saxa Niphatem . . .
Adstrinxit;	
13. 109: Hic latera intextus stellatis axibus agger,	3. 455. Stellatis axibus agger
Hic gravida armato surgebat vinea dorso.	Erigitur, geminasque . . . . . turres Accipit . . .

Plurima autem Silius Lucano debet in describenda pugna navali, quae inter classem Punicam cum Syracusana junctam et Romanam commissa est, cum Marcellus Syracusas oppugnaretur. Illa enim pars carminis Siliani quae continetur versibus 353.—579. libri 14. multis locis congruit cum Lucani descriptione pugnae navalis contra Massilienses commissae, quae exstat lib. 3, vs. 510.—774. Comparentur enim inter se haec:

Silius.	*Lucanus.*
Silius, 14. 370: ruebat Classis, et artabat lunato caerula gyro.	Lucanus, 3. 532: Hoc robur aperto Oppositum pelago. Lunata fronte recedunt.
375. Vix meminere maris; tam vasto ad proelia nisu Incumbunt proni, positisque in margine puppis Extremae plantis nutantes spicula torquent. Sternitur effusis pelagi media area telis, Celsaque anhelatis exsurgens ictibus alnus Caerula nigranti findit spumantia sulco.	570. Stat quisque suae de robore puppis Pronus in adversos ictus: nullique perempti In ratibus cecidere suis. Cruor altus in undis Spumat, et obducti concrescunt sanguine fluctus; et quae sequuntur usque ad versum 582.
380. Ast aliae latere atque incussi roboris ictu Detergent remos: aliae per viscera pinus Tramissis ipso retinentur volnere rostris.	563. Tunc quaecunque ratis tentavit robora Bruti, Ictu victa suo percussae capta cohaesit.
384. Medias inter sublimior ibat Terribilis visu puppis, qua nulla per omne Egressa est Libycis major navalibus aevum.	535. Celsior at cunctis Bruti praetoria puppis Verberibus senis agitur, molemque profundo Invenit, et summis longe petit aequora remis.
487: ipse . . . ductor . . . ibat senis pulsibus.	536: Verberibus senis agitur . . . .
393. naves docilesque regentis Audivisse manum . . .	593: qua nullae melius . . . carinae Audivere manum . . . .;
443: Et Neptunicolae transverberat ora Telonis.	Gubernator hujus navis est Telon quidam v. 592: Dirigit huc puppim miseri quoque dextra Telonis.
401. ac residentis puppe magistri Affixit plectro dextram: nec deinde regenda Puppe manus valuit, flectenti immortua clavo.	597: Hic Latiae rostro compagem ruperat alni: Pila sed in medium venere trementia pectus, Avertitque ratem morientis dextra magistri.

Silius.

Dumque ad opem accurrit ceu capta navita puppe,
Ecce îterum fatoque pari nervoque sagitta,
In medium perlapsa globum, transverberat ictu
Orba gubernacli subeuntem munera Taurum.
453: Bonus ille per artem
Crudo luctari pelago, atque exire procellas.
Idem, quid Boreas, quid vellet crastinus Auster
Anteibat: nec pervigilem tu fallere voltum
Obscuro quamvis cursu Cynosura valeres.
489. Quam rapidis puppem manibus frenare Lilaeus
Dum tentat, saeva truncatur membra bipenni,
Ac fert haerentes trabibus ratis incita palmas.

518. .. naves .. Concurrunt. Injecta ligant hinc vincula ferri
Atque illinc, steteruntque rates ad proelia nexae.
539. Perculsi cuneo Poeni densentur in unum,
Quod caret hoste, latus; subito cum pondere victus
Insiliente mari submergitur alveus undis
543. Hic robore fracto
Pugnat inops chalybis, seseque in proelia rursus
Armat naufragio: remis male fervidus ille
Festinat spoliare ratem, discrimine nullo

Lucanus.

Dum cupit in sociam Gyareus erepere puppim
Excipit immissum suspensa per ilia ferrum,
Adfixusque rati, telo retinente pependit.

592: Dirigit .. puppim . . . dextra Telonis,
Qua nullae melius, pelago turbante carinae
Audivere manum: nec lux est notior ulli
Crastina, seu Phoebum videat, seu cornua lunae,
Semper venturis componere carbasa ventis.
610. Ausus Romanae Graja de puppe carinae
Injectare manum: sed eam gravis insuper ictus
Amputat: illa tamen nisu, quo prenderat, haesit . . . .

565. Ast alias manicaeque ligant, teretesque catenae,
Seque tenent remis: tecto stetit aequore bellum.
648. Incumbit prono lateri, vacuamque relinquit,
Qua caret hoste ratem: congesto pondere puppis
Versa, cava texit pelagus nautasque carina.
670. Jamque omni fusis nudato milite telis,
Invenit arma furor: remum contorsit in hostem
Alter: at hic tortum validis aplustre lacertis,
Avulsaque rotant excusso remige sedes.

Silius.	*Lucanus.*
Nautarum interdum convulsa sedilia torquens. Non plectro ratis, aut frangendae in vulnera prorae Parcitur, et pelago repetuntur nantia tela.	In pugnam fregere rates. Sidentia pessum Corpora caesa tenent, spoliantque cadavera ferro. Multi inopes teli, jaculum letale revulsum Vulneribus traxere suis . . . .
550. Vulneribus patulis intrat mare.	660. Dejectum in pelagus, perfosso pectore corpus Vulneribus transmisit aquas.
552. Nec desunt, qui correptos amplexibus artis Immergant pelago, et, jaculis cessantibus, hostem Morte sua perimant.	693. Nunc, rara datur si copia ferri, Utuntur pelago. Saevus complectitur hostem Hostis, et implicitis gaudent subsidere membris, Mergentesque mori.

His locis inter se comparatis apparere censeo in hujus pugnae navalis descriptione Silium multa ad verbum e Lucano hausisse. Unum addo locum: Imitatus enim Lucanum, qui de Pompejo ex Italia fugienti dicit lib. 3, v. 3.:

> Omnis in Jonios spectabat navita fluctus:
> Solus ab Hesperia non flexit lumina terra
> Magnus,

Silius de Hannibale ex Italia decedenti dicit lib. 17, vs. 211.:

> Omnis in altum
> Sidonius visus converterat undique miles:
> Ductor defixos Itala tellure tenebat
> Intentus vultus.

Sufficiant haec de Lucano; pauca addere liceat de Valerio Flacco et Statio. Constat autem varias Vergilii virtutes ac totius populi admirationem quae, ubi primum Aeneis in medium prolata est, statim in eum se convertit, ut a subsequentis aetatis poetis epicis pro exemplo haberetur facile effecisse (conferantur quaestiones Valerianae, ed.

W. E. Reuss; pag. 9.), inter quos poetas Silius, Lucanus, Statius non infimum locum obtinent. Primum autem locum inter Vergilii sectatores C. Valerius Flaccus obtinere videtur, de qua re conferantur quae disseruit vir doctus pag. 306.—308., vol. 8. libri illius qui inscribitur: Nachtraege zu Sulzer's Theorie der schoenen Kuenste. Imprimis igitur hoc loco cavendum est ne eos locos, quos uterque Vergilio ipsi debet, ad hanc quaestionem afferamus, quod exquirere esset per se satis longa disputatio. Restant tamen nonnulla ex quibus apparet inter eos poetas quos diligenter legerat Silius Valerium Flaccum fuisse; quae comparentur inter se:

„Mentitus aliquem" participio uterque utitur pro adjectivo similis:

Silius, 2. 637: Eurymedon fratrem et fratrem mentite Lycorma,	*Valerius*, 7. 155: non jam mentitae vultum vocemque resumit Chalciopes. 211: sicut erat mutata deam mentitaque pictis Vestibus . . .

Alii loci hi sunt:

Silius.	*Valerius.*
3. 699: Ac major nota jam vox prorumpit in auras:	2. 226: notaque sonat vox conjuge major.
5. 100: Bellandum est astu: levior laus in duce dextrae.	4. 621: Sed te non animis nec solis viribus aequom Credere; saepe acri potior prudentia dextra.
5. 673: Fronte minae durant, et stant in vultibus irae!	2. 21. quisque suas in rupe minas pugnamque metusque Servat adhuc.
7. 674: Ut, qui viscatos populatur arundine lucos, Dum nemoris celsi procera cacumina sensim Substructa certat tacitus contingere meta, Sublimem calamo sequitur crescente volucrem.	6. 260: Qualem populeae fidentem nexibus umbrae, si quis avem summi deducat ab aere rami, ante manu tacita cui plurima crevit arundo; illa dolis viscoque super correpta tenaci

Silius.	*Valerius.*
	implorat ramos adque irrita concitat alas.
8. 235: redeunt Divi; i. e. dei desinunt tueri aliquem.	2. 485: verum o jam redeant Phrygibus si numina . . . .

Denique libri tertii decimi versus 327.—42., quibus de Pane ejusque habitu agitur comparandi sunt cum versibus 47.—57. libri tertii Argonauticon. Neque potest negari omnibus fere locis quibus Silius sive expeditionis Argonautarum ipsius sive rerum cum illa conjunctarum mentionem facit, Valerium Flaccum aut fontem fuisse unicum, aut simul cum aliis poetis easdem res narrantibus Silio ante oculos fuisse. Conferantur enim loci libri 11, vs. 469 sqq. cum variis locis carminis Valeriani, lib. 1, 301.—305.; lib. 4, 336 sqq., ubi describitur Argo navis; deinde lib. 12, v. 397.—400. cum rebus, quae libro altero et tertio Argonauticon narrantur. Tum, ut apud Silium libro decimo Minerva apud Jovem queritur quod Mars Poenis faveat, sic apud Valerium exeunte libro quinto Mars apud Jovem queritur, quod Minerva Jasoni patrocinetur. Porro Juno apud Silium semper Hannibali adest, eodemque modo eadem dea apud Valerium Jasonem juvat; denique Iris apud utrumque de coelo ad terram mittitur jussa deorum nuntiatura. Apparet igitur Silio et Valerio Flacco hoc potissimum commune esse, quod uterque saepissime deos deasque ipsos res gerendas administrantes inducat, et Junoni, Minervae, Veneri magnas partes in carminibus suis tribuat.

De *P. Papinio Statio* brevis ero, praesertim cum is quoque non pauca cum Valerio, tum Vergilio debeat; (de qua re conferantur et: Nachtraege zu Sulzer's Theorie, vol. 8, p. 348. s. f. —350. et: Teuffel, Litteraturgeschichte, sub voce Valerius Flaccus, 312. 4.) Similia sunt inter se apud Silium et Statium haec:

Silius.	*Statius.*
1. 231: Astur avarus Visceribus lacerae telluris mergitur imis,	Silvar. 4. 7. 14: . . . . ubi Dite viso

Silius.	*Statius.*
Et redit infelix *effosso concolor auro.*	Pallidus fossor redit *erutoque Concolor auro.*
6. 146. Lucus iners juxta Stygium pallentibus umbris Servabat sine sole nemus	Theb. X. 86: Lucus iners, subterque cavis grave rupibus antrum It vacuum in montem ....
6. 164: Nondum. etiam toto demersus corpore in amnem Jam caput adversae ponebat margine ripae; quibus versibus serpens ingens describitur, quam Regulus necat.	Theb. 5. 516: Saepe super fluvios geminae jacet aggere ripae Continuus, squamisque incisus adaestuat amnis; qui versus dicti sunt de serpente, quae Ophelten parvulum mordet.
10. 146: plenamque . . abcisi galeam capitis.	Theb. 8. 700: galeasque rotat per nubila plenas.

Restant nonnulli alii loci quos Ernestius et Rupertius diligentissime in editionibus Silianis adnotaverunt.

Denique quaerendum erit num *Lucretius* notus fuerit Silio. Cum vero constet Vergilium (conferatur Gellius I, 21. 7.), Ovidium, imprimis Horatium, denique omnes fere illius aetatis poetas Lucretium plurimis locis sectatos esse, certo Silii temporibus carmina Lucretii non rara erant in bibliothecis. Accedit quod multi loci carminis Siliani docent Silium non solum scriptorem historicum poetamque, sed etiam philosophum fuisse, quam ob causam non erit dubitandum quin is, qui permultos alios poetas pervolutavit, Lucretii quoque de rerum natura libros legerit. Postremo nonnulla ex carmine Siliano ipso vestigia, quae ad Lucretium spectant docent Lucretium notum fuisse Silio. Conferantur enim haec:

Silius.	*Lucretius.*
3. 669: Stat fano vicina .... lympha, Quae nascente die, quae deficiente tepescit; Quaeque riget, medius cum sol ascendit Olympum, Atque eadem rursum nocturnis fervet in umbris.	6. 848: Esse apud Hammonis fanum fons luce diurna Frigidus et calidus nocturno tempore fertur. Hunc homines fontem nimis admirantur et acri sole putant supter terras fervescere raptim,

Silius.	*Lucretius.*
	nox ubi terribili terras caligine texit. Versibus qui sequuntur Lucretius in causas hujus miraculi inquirit.
6. 146: flumen . . . . *lento pede*. . . fluit.	6. 638, et 5. 272: qua via secta semel liquido *pede* detulit undas.
9. 572: Nam praevectus equo, moderantem cuspide *Lucas* Maurum in bella *boves*	5. 1301: inde *boves Lucas* turrito corpore, tetras . . . .

Libro quarto decimo describitur pestilentia, qua cum in castris Marcelli tum Syracusis ipsis multi Siculorum Romanorumque absumuntur. Qua in re quem scriptorem Silius secutus sit difficile est dictu, cum similes pestilentiae descriptiones multae exstent, quas jam supra pag. 32. recensui. Ad quas, ut alias aliorum scriptorum omittam, Lucretii descriptio accedit, quae exstat lib. 6, v. 1136. sqq. Sed, quamvis negare nolim fortasse illorum omnium scriptorum narrationes Silio notas fuisse, neque possim negare hic illic luce clarius Vergilium, fortasse Ennium quoque ei ante oculos fuisse, persuasum tamen habeo ex Lucretii quoque carmine hoc loco non pauca sumpta esse. Comparentur enim inter se haec:

Silius, lib. 14.	*Lucretius*, lib. 6.	*Vergil.*, Georg. 3.	*Ovidius*, Met. 7.
594: Vim primi sensere canes; mox nubibus atris Fluxit deficiens penna labente volucris: Inde ferae silvis sterni: tum	1217. Nec tamen omnino temere illis solibus ulla Comparebat avis, nec tristia secla ferarum Exibant silvis . . . . . . cum primis fida canum vis Strata viis animam ponebat in omnibus aegre.	480. Et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum; . . . . . . 496: hinc canibus blandis rabies venit	536: Strage canum prima, volucrumque, oviumque, boumque, Inque feris subiti deprensa potentia morbi. . .

Silius.	*Lucretius.*	*Vergilius.*	*Ovidius.*
601. Aspera pulmonem tussis quatit, et per anhela Igneus efflatur sitientum spiritus ora.	1187. per fauces raucas vix edita tussi.	496. quatit aegros Tussis anhela *sues*.	556: Aspera lingua tumet; trepidisque arentia venis Ora patent: auraeque graves captantur hiatu.
602. Lumina, ferre gravem vix subficientia lucem, Unca nare jacent	1191: compressae nares, nasi primoris acumen Tenue, cavati oculi, cava tempora	523. atque oculos stupor urget inertes.	
609. Succubuit medicina malis	1123. nec ratio remedi communis certa dabatur		526: pugnatum est arte medendi: Exitium superabat opem.
609: cumulantur acervo Labentum, et magno cineres sese aggere tollunt.	1213. multaque humi cum inhumata jacerent corpora supra Corporibus		547. silvisque agrisque viisque Corpora foeda jacent.
611. Passim etiam deserta jacent inhumataque late Corpora, pestiferos tetigisse timentibus artus.	1235: idque vel in primis cumulabat funere funus. Nam quicunque suos fugitabant visere ad aegros, Vitai nimium cupidos mortisque timentis Poenitebat paulo post turpi morte malaque Desertos		574: Corpora devolvunt in humum fugiuntque penates Quisque suos: sua cuique domus funesta videtur.

Unum postremo locum addam libri 15, v. 340., ubi Silius Marcellum Carthaginis horrorem dicit:

. . . jacet campis Carthaginis horror!
Forsan Scipiadae confecti nomina belli Rapturus.

Sic apud Lucretium, lib. 3, v. 1032. Scipio dicitur:

Scipiadas, belli fulmen, Carthaginis horror, . . .

Haec satis sint de Lucretio. Num Tibulli, Propertii, Catulli carmina nota fuerint Silio equidem certis testimoniis confirmare non possum, etsi hic illic pauca exstant vestigia, quae ad Tibullum spectare videntur. Senecae autem tragoediis num usus sit dubito; ei enim versus, quos Rupertius comparandos attulit, aut apud alios scriptores quibus usus est Silius leguntur, aut omnino inter se non sunt comparandi. Ex Plinii Tacitique libris, etsi fieri potuit, eum hausisse nego; hos enim scriptores Rupertius et alii in eis potissimum rebus ad comparationem afferunt, quae illa aetate factae sunt: res autem quas Silius ipse viderat et audierat (conferantur 3, 598 sqq. et alii loci) aliis eum debere scriptoribus non puto.

Nec tamen dubito quin *Sallustii* scripta diligenter perlegerit, cujus rei haec propono argumenta. Silius enim nomina propria militum singulorum, qui inter se pugnant, non solum petiit:

a fluviis: (ad quod conferas 1, 306.: Caicus; 9, 585. Ufens; 15, 722. Rhodanus; 15, 727. Mosa; 16, 366. Durius; plurimosque alios locos),

aut ab oppidis: (conferatur 2, 160. Thapsos; 4, 233. Caunus; 4, 381. Albanus; 16, 465. Tartessus),

aut a montibus: (conferatur 4, 213. Vogesus; 5, 271. Atlas; 5, 434. Othrys; 14, 407. Taurus),

aut a regionibus notis: (cf. 5, 243. Syrticus; 2, 164. Cothon),

aut ab insulis: (cf. 16, 342. Cyrnus),

aut a populorum nominibus: (conferatur 4, 167. Tyrrhenus; 4, 176. Picens; 4, 235. Leponticus; 6, 44. Nasamon; 14. 693.: Arabus, 14. 700. Rutulus et qui sequuntur),

aut ex mythologia (ut lib. 3, 402. Phorcys; 3. 264. Antaeus; 16, 506. Eurytus),

sed etiam sumpsit nonnunquam *ex historia ipsa*, ita tamen

ut homines illi, quibus clarorum virorum et regum potentissimorum nomina sunt tributa, minime cohaereant cum veris historiae hominibus. Inter quae nomina propria praeter Nabim (lib. 15, 262.), Viriathum (5, 261.), paucos alios, etiam haec leguntur, quae omnia apud Sallustium inveniuntur. Sic inducitur lib. 2, v. 165. miles, cui nomen est *Iugurtha;* versu 160. ejusdem libri *Juba* et *Micipsa;* 3, 285. *Bocchus*, qui Hesperidum hortos viderat, i. e. rex Mauretaniae; lib. 5, 261. *Volunx*, fortasse autem Volux legendus est, qui fuit filius Bocchi, (conferatur Sallustii bell. Jugurth. cap. 105.); lib. 1, v. 408. vastae Nasamon Syrtis populator *Hiempsal.* Sunt autem praeterea et alii loci, quibus demonstrari potest Sallustii libros Silium legisse. Non raro enim in Africae situ, forma, urbibus, regionibus, populis describendis Sallustium secutus videtur esse. Sic Sallustius narrat de bello Jugurth. cap. 19. Leptim a Phoenicibus esse conditam. Itaque Silius dicit lib. 3, 256.:

Sabrathra tum Tyrium vulgus Sarranaque Leptis . . .

Nec non eae urbes, quae versibus sequentibus commemorantur: Hippo, Vaga, Zama, aliae apud Sallustium describuntur. Tum fabulam illam de Philaenis fratribus Carthaginiensibus, quam narrat Sallustius de bell. Jug. cap. 79., quibus fratribus cum se suamque vitam reipublicae condonavissent Carthaginienses ibi aras consecravere, ubi, ut patriae fines proferrent, vivi obruti erant, notam fuisse Silio apparet ex versu 701. libri 15.:

Qua celebre invicti nomen posuere Philaeni, . . .

Denique versus 570. libri primi:

grassandum ad clara periclis,

ad Sallustii verba videtur spectare, quae leguntur de bell. Jug. cap. 1.: ubi ad gloriam via virtutis grassatur; postremo non dubito, quin versus libri noni 406. et 407.:

Velle ac nolle ambobus idem, sociataque toto
Mens aevo . . . .

adumbrati sint ad illud Sallustianum, quod legitur Catil.

cap. 20.: nam idem velle atque idem nolle, ea demum firma amicitia est.

His ita perlustratis jam eo pervenimus ut judicium nostrum de Silio ejusque fontibus faciamus.

Ac primum quidem statuendum est Silium doctum fuisse poetam. Hic enim non solum plurimos aetatis suae poetas et pedestris orationis scriptores ita legerat, ut ea quae animo obversabantur ex assidua eorum lectione aut de industria aut invitus in suum usum converteret, sed etiam antiquiores poetas: Ennium, Lucretium, meditato studio imitatus est. In narrandis rebus gestis atque in rerum gestarum dispositione *Livii* vestigiis ingressus est, quem non raro in rebus minutissimis sequitur; praeterea autem ad *Ennium* potissimum se applicavit, qui, quamvis poeta, tamen laude fidei historicae haudquaquam caret; denique in narrandis rebus gestis *Polybium* et *Ciceronem* secutus est. Neque tamen ubi hos scriptores neglexit et contra eorum auctoritatem res aliter narravit hoc propter ignorantiam aut inscientiam fecit, sed eo consilio aut ut narrationem Romanis secundiorem faceret, — de qua re conferantur praeter multos alios locos ea quae supra pag. 73. diximus de caede Flaminii ubi neglecto Livio Polybium secutus est — aut ut carmen suum ornatu quodam poetico magis exornaret, augeret, amplificaret. Plerumque enim eam narrationem in suum usum convertit, quam coloribus poeticis magis potuit exornare. Cujus rei ut unum pro multis exemplum afferam, poeta lib. 12. v. 603.—663. exornavit *Livianam* descriptionem tempestatis qua proelium, cum Hannibal Romam ipsam expugnare vellet, bis diremptum est; cujus tamen tempestatis Polybius nullam fecit mentionem. Contra *Polybium* secutus est in describenda caede et Hamilcaris et Hasdrubalis, quia ea quae *Livius* tradiderat non sufficiebant. Itaque quamquam perraro fit ut contra *omnium* scriptorum auctoritatem res fingat eum in rebus historicis prorsus sequi non possumus; nolim autem omnem laudem fidei historicae ei derogare, cum nonnumquam etsi a Livio Polybioque dissentit alios tamen

auctores sequi maluerit; de qua re conferantur ea quae supra p. 82. diximus ubi contra Livium et Polybium Carthaginis Novae praefectum non Magonem sed Arin fuisse Silius dicit, secutus Valerium Antiatem quem Livius l. l. auctorem nominaverat. Neque dubito quin in carminibus Silii, quem ex antiquioribus scriptoribus non pauca hausisse demonstravimus, deperditorum antiquitatis monimentorum multa vestigia insint.

Quod vero ad ornatum poeticum attinet imprimis imitatus est *Vergilium*, tum *Ennium*, denique *Homerum*, postremo *alios poetas*. Et *Homerum* quidem *Enniumque*, fortasse *Valerium Flaccum* quoque secutus dis deabusque in rebus gerendis magnas tribuit partes; ex *Ovidio* singulas fabulas parvasque narratiunculas hausit, ex *Horatio* sententias maxime poetice dictas. Descriptionem autem Sardiniae insulae *Ennio*, Siciliae *Ciceroni*, Africae *Lucano* et *Sallustio*, ut alios omittam, debet; alias regiones ipse viderat: ut Asiam minorem, ubi pro consule fuerat. Multae aliae res quae sive ad geographiam sive ad mythologiam sive ad eruditionem antiquariam spectant num haustae sint ex alio scriptore vix potest demonstrari; cum vero non sit cur illas res ad suum arbitrium finxerit censeamus, oportet ex bonis fontibus Silium hausisse et gravem esse eis in rebus auctorem, quem sequi possimus. Unum hoc loco addere liceat. Dixerit enim fortasse quispiam: quid? nonne fieri potuit ut poetarum nonnulli, quos tu dixisti Silio fuisse fontes, ex Silio ipso hauserint? Hoc tamen nego. Silius enim jam annis suadentibus, ut ait Plinius epist. 3, 7. ab urbe secessit et carmini suo scribendo operam dare coeperat. Atque cum jam libro tertio v. 594. —629. bellorum mentio fiat quae Domitianus contra Dacos Cathosque gessit et duplex triumphus de illis populis (a. p. Ch. n. 91. vel 92.) libri tertii versu 614. innuatur, concludere licet totum Silii carmen ante annum p. Ch. n. 96. aut 98. ad finem non esse perductum. Lucanus autem jam a. p. Ch. 65. mortuus est; (conferatur Vacca in C. F. Weber: vitae M. Annaei Lucani collectae: sua sponte

coactus vita excedere venas sibi praecidit periitque pridie Kal. maj. Attico Vestino Nerva Siliano consulibus, i. e. a. p. Ch. n. 65.); Valerius Flaccus jam ante annum nonagesimum mortuus est (conferatur Quinct. X. 1. 90.: multum nuper in Valerio Flacco amisimus); denique Statius, qui a. p. Ch. n. 96. mortuus est, tamen carmina sua jam multo ante scripserat et ediderat, de qua re Teuffelius, „Geschichte der römischen Litteratur", num. 316. disseruit. Itaque fieri non potuit ut illi Silio uterentur, sed Silium ex illis hausisse constat. Quamvis igitur veri aliquid insit in illis verbis Rupertii quibus usus est pag. XXXIII. commentationis de Silii vita et carmine: „quis dubitet vel unius Ennii Annales Silii Lucani Statii aliorumque carminibus redimere", negari tamen non potest C. Silium Italicum non propter se ipsum sed propter fontes quos secutus sit magni esse aestimandum. Dolendum autem est, quod usque ad hunc diem hic potissimum poeta neglectus et quasi contemptus est, atque editionem quam vir doctus se vulgaturum esse pollicitus est nemo est qui non desiderio exspectet.

VITA.

Natus sum Ernestus Julius Wezel a. d. IV. Kal. Octob. anni millesimi octingentesimi duodequinquagesimi Limbachiae, in vico prope Chemnitium sito, patre Julio Augusto Wezel, qui apud Limbacenses munere praeceptoris in schola publica fungitur, matre Ernestina e gente Kuehneja. A patre elementis litterarum eruditus et linguas latinam et graecam a Mauritio Muennichio, apud Braeunsdorfienses verbi divini interprete, et a Frederico Fluhrschuetzio theologiae candidato edoctus, traditus sum mense Octobri a MDCCCLXII. Moldano Grimensi. Hoc in gymnasio clarissimo, Wundero et Dietschio rectoribus per sex annos litteris latinis graecisque operam dedi quarum litterarum amore ductus, cum examine superato Lipsiam me contulissem mense Octobri anni MDCCCLXVIII. studio philologiae operam dare statutum cum animo habui. In quo studio colendo cum per biennium fere scholas Klotzii, Ritschelii, Curtii, Voigtii, Drobischii, Zarnkii, Schoenii, Lipsii, Ahrensii, Brockhausii frequentavissem, atque exercitationibus historicis et antiquariis quas Schoenius habere solebat usus essem, deinde ut socius ordinarius per duo semestria et societatis grammaticae quae Curtii auspiciis floret, et seminarii philologorum regii exercitationibus interfuissem, bellum illud tam gloriosum quam periculosum exarsit quo tempore simul cum multis commilitonibus ego quoque Martem cum Musis commutavi. Anni autem sequentis mense Augusto postquam per unum annum in Gallia versatus sum Dei gratia integer ac salvus in patriam

redii atque in universitate litterarum Lipsiensi de integro philologiae studio operam dedi. Post bellum per duo semestria seminario regio et societati grammaticae, per quatuor societati philologae Ritschelianae interfui atque scholas Ritschelii Curtii Langii Voigtii Overbeckii Ecksteinii Struempellii partim frequentavi partim frequento. Quibus omnibus viris doctissimis gratiam habeo semperque habebo; maximam vero si unum licet depromere Ritschelio qui non solum tironem scientia auxit, sed etiam pauperem beneficiis adjuvit.